LEGATIO MARCHIONIS LAVARDINI ROMAM, EIÚSQUE CUM…

Celestino Sfondrati, Denis Talon

Digitized by Google

Y.1.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

6
40/1 A
48

13-23-A.6

Andreaſs

Digitized by Google

XIV. 1. 18

Digitized by Google

LEGATIO
MARCHIONIS LAVARDINI ROMAM,

Ejúſque

CUM ROMANO PONTIFICE

INNOCENTIO UNDECIMO, DISSIDIUM.

Ubi agitur

DE JURE, ORIGINE, PROGRESSU, ET ABUSU QUARTERIORUM FRANCHITIARUM SEU ASYLI, &c.

Et

Refutantur Rationes à Lavardini Advocato productæ, in Libello Gallico, cujus initium:

Si L' Auteur, &c. Anno 1688.

Anno recuperatæ Salutis, MDCLXXXVIII.

Digitized by Google

PRÆMONITIO.

Monemus, ne quiſquam religioni ducat lectionem hujus libri, quamvis non præſeferat nomen Auctoris, Typographi, Loci aut Ordinarij approbantis. Verè námque in lucem prodit Superiorum permiſſu, & cum facultatibus requiſitis. Oportuit tamen ea nomina taceri ob rationabilem cauſam.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOndum calamum poſueram, quando nova ſcribendi cauſa ſe offert ex militari Marchionis Lavardini Oratoris Gallici Romam ingreſſu, quo non urbem tantùm, ſed Europam omnem novo exemplo, inuſitatóque concuſſit. Hactenus Principum Legatos, quippe pacis adminiſtros Mercurio ſimiles vidimus; hodie Martem induerunt, armatóſque ſe oſtentant, caduceo in gladios mutato. Erit ergo, quem cupido inceſſat cauſas, modúmque rei perdiſcendi, quæ omnium oculos perſtrinxit; & poſteritas quóque gratiam habebit, tam nova & grande

 peri-

Digitized by Google

periculum minantia ingenuè narranti, nam hæc cauſa ſcribendi mihi fuit; cùm enim præviderem pro partium ſtudijs calamo pugnatum iri; ego, qui veritati unicè me addixi, nec ab alio gratiam expecto; ſtatui arenam occupare, & candidâ, liberáq; affectibus narratione, trophæum veritati figere. Video Galliam Romámque collidi, maximum videlicet Regum, cum maximo Pontificum; iſtum innocentiâ tutum, illum potentiâ, fortunáque ſuâ nixum: utri victoria cedet, incertum mortalibus, & in arcana Divinitatis repoſitum; nec enim ſemper aut potentior cauſa, aut melior vicit. Ego, ſi ex votis decidi res poſſit, pacem utrínque optaverim. Cæterùm utcúnque id cadat, narrandi, quàm augurandi peritior rem totam à ſuis principijs evolvam.

Video

Video quidem jam aliorum calamis hoc argumentum libatum eſſe, ac præſertim nuperâ ſcriptione, quâ Pontificis Innocentij XI. Bulla contra Lavardini Apologiam defenditur, Italico ſermone, ídque tam facundè, ſolidéque, ut nihil habuerint Adverſarij, quod reſponderent, contenti ſolùm ſilentio ac pudore cladem fateri. Prodijt quóque alia ſcriptio (a) *Gallico ſermone, quâ Talonij Regij Advocati Declamatio injurijs plena, egregiè refutatur. Ego ne quid ſuperſit veritati noxium, Libellum Galli cujuſdam anonymi convincere aggredior, quo Lavardini Apologiam ſuſtentat, inani conſilio, ſi clamores excipias, Tartarorum videlicet more, quibus ſtrepitus pro pugna eſt. Et tamen*

 quia

(a) Titulus libelli Gallici eſt: *Refutation d'un libelle Italien, &c. &c. Anno 1688.*

Digitized by Google

quia multis abundat, quæ aut lenocinio Gallici ſermonis, aut ſpecie veritatis incautos fallant, confutandum ſuſcepi. Quòd ſi aliquis opponat mihi, nihil mea intereſſe, quid Romam inter, Galliámque agitetur, nec mearum eſſe partium, hoc certamen dirimere, confeſtim reſpondebo, quod olim, inq; ſimili cauſa ex ſilvis ſuis reſpondit Hieronymus : (a) Canes latrant pro Dominis; tu non vis me latrare pro Chriſto? mori poſſum, tacere non poſſum. *Sed age rem ipſam aggrediamur.*

DE

(a) S. Hieron. l. 3. contra Rufin.

Digitized by Google

DE JURE, ORIGINE, Progreſſu & abuſu Quarteriorum Franchitiarum ſeu Aſyli, &c.

SUMMARIA.

1. Legatos Jure Gentium inviolabiles eſſe, nec ſubjacere Juri Talionis; non tamen Jure Aſyli gaudere.

2. Infiniti ex hac Immunitate abuſus. Aſylorum & Immunitatum (quas Franchitias & Quartierios vocant) Hiſtoria Chronologicè, fuſeque exponitur, ac validiſſimè concluditur, hanc Immunitatem à Principum Legatis injuſtè uſurpari, nec unquam à Summis Pontificibus toleratam eſſe.

3. Innocentij XI. contra Franchitias Edicta, & quas ob cauſas?

4. Reges omnes Innocentij Diplomati acquieſcunt ſolâ Galliâ reluctante. Ingreſſus Romam Marchionis Lavardini.

 5. Lavar-

5. Lavardinus Excommunicationem incurriſſe declaratur. Pontificis moderatio.

6. Reſpondetur ad Libellum Anonymi: & primò oſtenditur, nullam Lavardino ab Innocentio XI. Pontifice Maximo injuriam factam.

7. Nihil contra Jura Legatorum actum eſſe, cùm Pontifex Lavardinum pro Legato non habuit.

8. Romam eſſe communem Patriam, ſed non ideò Lavardinum aliter à Pontifice excipiendum fuiſſe.

9. Magnam eſſe Gallorum in Eccleſiam Romanam merita, ſed non minora Eccleſiæ Romanæ in Gallos.

10. Refelluntur, quæ de ignorantia Diplomatis Pontificij Gallus enarrat.

11. An Lavardinus ſine debita forma Excommunicationi ſubjectus fuerit?

12. An verum ſit, Reges præſertim Galliæ, ejúſque Miniſtros excommunicari non poſſe?

13. Cur non ipſo Pontificatûs ſui initio Aſyla, & Immunitates Legatorum Innocentius deleverit?

14. An verum ſit, Lavardinum verbis Bullæ comprehenſum non eſſe?

15. Nihil

Digitized by Google

15. Nihil obſtare exemplum Sixti V.

16. An Innocentius ex voto Cardinalium Bullam ediderit?

17. An in cauſis temporalibus locus ſit Excommunicationis? & quid de minis & periculis à Lavardino declamatis?

18. An excuſari poſſint, quæ Romæ Lavardinus commiſit?

19. An conſultius ſit Aſyla Eccleſijs adimere, quàm Palatijs Legatorum?

20. An Pontifici Romano ſcandala adſcribi poſſint à Lavardino narrata?

21. An Lavardinus excuſari poſſit exemplis S. Ludovici, & Philippi Pulchri, quos ſpreviſſe Cenſuras dicit?

22. Refelluntur, quæ de ſacro in Gallijs fœdere Pontifici opponuntur.

23. An verum ſit, duriùs cum Lavardino actum, quàm cum aliorum Principum Legatis læſæ Majeſtatis reis?

24. An Pontifex debuerit abſtinere Cenſuris, quia iſtarum uſus ſæpè noxius?

25. An verum ſit, Cardinalium vota, qui Bullæ ſubſcripſerunt, eſſe ſubreptitia?

26. An Pontifex Innocentius ex Conſilijs

Digitized by Google

pendeat Religioſorum ignorantium, & minutorum, ut vocat, Prælatorum?

27. *Refelluntur, quæ Lavardini Advocatus pro quatuor Propoſitionibus narrat.*

28. *An Bulla Pontificia Legatos non liget, quia Perſonam Regis repræſentant?*

29. *An Præſcriptio Lavardinum juvet?*

30. *An Piſana conventio?*

31. *An Pontifex Innocentius malè in Gallos animatus ſit?*

32. *Quo animo Pontificem eſſe oporteat, ſi armis Galli experiantur?*

I.

PRincipum etiam hoſtium Legatos immunes ſanctóſque eſſe, nec poſſe injurijs violari res certa eſt, ac omnium Gentium exemplis, uſúque recepta; nec aliud magis omnium populorum abominatione ac probro damnatum, quàm Legatos contumeliâ affeciſſe. Id verò tam notum eſt, ut rationibus & exemplis etiam Bar-

Barbarorum ſuperſedeam. (a) Sed nullibi magis ut Romæ florente Republicâ, Legatorum immunitas valuit, adeò ut etiam ſeditioſis, & clandeſtinis conſilijs imperium turbantibus parcerent, contenti eos obſervare, aut finibus proſcribere, aut hoſti, à quo miſſi erant, ad pœnam remittere. Unde communior Politicorum ſententia eſt, in Legatos etiam periculoſa molientes, animadverti non poſſe; alioquin ſi nulla Legatis impunitas, quàm innoxijs, quid plus illi haberent, quàm reliquum vulgus mortalium? nec unquam ratio & prætextus Principi deeſſet Legatum perſequendi, præſertim quia Legatus Principem repræſentat; unde quantacunque Legati ſit culpa, Principis dignitati nocere non debet, quandiu hic ratam non habet. Abundántque exempla maximè Romanorum, qui nullâ

(a) Vide Grotium de Jure Pacis & Belli l. 2. c. 18. & L. ſi quis ff. de Legation. Joſeph. hiſtor. antiq. lib. 15.

nullâ delicti ſpecie, ut Legatum punirent, permoveri poterant, juris Gentium reverentiâ. Inſigne hujus rei documentum apud Livium. (a) Tarquinij Româ proſcripti Legatos miſerant, qui à Senatu Regios theſauros repeterent; prævaluítque ſententia, ut omnia redderentur; interim Legati nobilium animos pertentant, corrumpúntque; & dies condicta, quâ Tarquinij in urbem reciperentur. Conjuratio ad Senatum delata; rei in vincula conjecti, ſecurique percuſſi. *De Legatis*, inquit Livius, *parùm addubitatum eſt, & quamquàm viſi ſunt commiſiſſe, ut hoſtium loco haberentur, jus tamen Gentium valuit.* Dion quóque in excerptis Legatorum: *Cùm juvenes quidam Legati à Carthagine Romam veniſſent, ibíque contumelioſè quædam feciſſent; miſſi ſunt Carthaginem, tradítique Carthaginenſibus, ab his verò nihil ijs nocitum.* Tertio bello Punico Conſules cum exercitu in Affricam miſſi ſunt,

juſſique

(a) Liv l. 2.

juſſique æmulam Imperij ſolo æquare. Romanos cum claſſe appulſos, Legati Carthaginenſium in caſtris adeunt, auditóque Senatûs mandato, plenam doloris, querelæ, indignationis, contumeliæque orationem effundunt, reverentiæ obliti, & inſultantibus potiùs quàm rogantibus ſimiles; quibus Conſul Cenſorinus: *Excendite caſtris incolumes, nam adhuc Legati eſtis.*

Addit Grotius, ne quidem jure Talionis violari Legatos poſſe: jus enim Gentium non ſolùm cavet dignitati Legatum mittentis, verùm etiam ſecuritati ipſius Legati (alioquin nemo velit officio fungi, ſi tutus non ſit) & ideò Jure Gentium, non ſolùm cum Principe, verùm etiam cum ejus Legato tacitè contractum, pactúmque videtur; ſicque non quidem Principi fit injuria, ſi jure Talionis Legati malè habeantur, ſed ipſis Legatis, quippe innocentibus, nec culpâ Principum obnoxijs. Non deſunt

ſunt quidem exempla Legati, malè accepti, habitíque jure talionis, ſed quod flagitium exemplis vacuum? Planè ſi meliorum Principum, & Rerumpublicarum exempla conſulas, Romanæ præſertim (apud quam ſumma cura publicæ, inviolatæque fidei) videbis nihil in Legatos talioni licuiſſe. Narrat Appianus *de Bello Punico*, Romanorum Legatos malè à Carthaginenſibus habitos eſſe, cúmque urgeretur Scipio, ut eodem jure Punici Legati, qui in caſtris erant, haberentur; reſpondiſſe: *Nihil quod Romanorum inſtitutis indignum ſit, fieri patiar.* Iidem Pœni à Romanis ingenti clade acceptâ petendæ paci conſilia agitabant, ſed nemo Romam ire auſus, quòd timerent, ne eodem modo eorum Legati acciperentur, quo ipſi Romanos accepiſſent, injectis Conſuli Cornelio Aſinæ catenis, ſolus Anno fiduciâ Romanæ virtutis profectus eſt; & cùm ſermonem de finiendo bello cum utróque

Con-

Digitized by Google

Conſulum ſereret, eique Tribunus militum diceret, poſſe illi meritò evenire, quod Cornelio accidiſſet: (a) Conſules Tribuno tacere juſſo: *Iſto metu*, inquiunt, *Anno fides Civitatis noſtræ te liberat.* Planè Romana fides eò Imperium provexit, quò Politicorum noſtræ ætatis artificia nunquam pervenêre, Deo etiam in hoſtibus ſuis virtutem amante. Eadem Venetorum Reipublicæ magnanimitas. Selimus II. Marcum Antonium Barbarum Venetorum Legatum cuſtodiæ tradiderat; poſteà alium Legatum Venetias miſit Cypro repetendæ, aut ſi Senatus abnueret, denuntiando bello. Is cùm paria formidaret, magnificè à Venetis reſponſum: *Non eſſe morem Reipublicæ, ut Jura Gentium in Legatis violari permitteret.*

Eâdem immunitate gaudent comites & vaſa Legatorum, unde in antiqua fecialium forma hæc habebantur: *Rex facis ne me tu Regium nuntium*

Populi

(a) Valerius Maxim. lib. 6. c. 6.

Populi Romani Quiritium, vaſa, comitéſque meos? Fruſtra enim eſſet immunitas Legatis data, ſi à Comitibus, rebúſque eorum vis non abeſſet, ſine quibus vita dignitáſque Legatorum eſſe non poteſt.

Jus Aſyli domibus Legatorum, pro omnibus, qui illuc confugiunt, planè juris Gentium non eſt, nec ullæ Leges de hac re oſtendi poſſunt: imò juri gentium repugnat, delicta reóſque impunè ferri, maximo publicæ quietis damno. (a) Jura Gentium omnibus communia ſunt, at tale non eſt hoc jus Aſyli, nam nec Pariſijs, nec in alijs quàm plurimis Aulis locum habet; ídque etiam Grotius fatetur, & Wicquefort in Tractatu Gallico, quem de Jure Legatorum ſcripſit. Alioquin major Legatorum Palatijs, quàm ipſis Eccleſijs immunitas eſſet, in quibus non omnibus flagitijs

(a) Grotius de Jure Pacis & belli l. 2. c. 18. n. 8. M. de Wicquefort nell'Ambaſſadeur Sect. 18.

Digitized by Google

flagitijs Aſylum patet. Aliæ quóque exceptiones ſunt, quibus hæc Legatorum immunitas reſtringi debet, & quas poſteà recenſebimus.

II. Cæterùm, ut fieri amat, hoc immunitatis Privilegium infinitis Abuſibus corrumpi cæpit, Romæ præſertim, ubi tot Aſylis apertis, quot Legatorum Palatijs, adjectíſque inſuper ingentibus urbis Regionibus, quæ Palatijs adjacent; tota ferè Roma in Aſylum, arámque impietatis tranſijt, nullum enim tam atrox facinus, cui non Arx & ſecuritas in aliquo Legatorum Palatio, aut ſi non omnia ſcelera Palatium caperet, non in vaſtis areis, vicíſque Palatio confinibus. Crederes revixiſſe Romulum, qui beneficio Aſyli vacuam urbem Latronibus populavit. Romani Pontifices cùm non poſſent domi ſuæ, in ipſaque Regia, & Metropoli Chriſtianæ Religionis exultantem & impunitam impietatem ferre ingenti Fidelium ſcandalo, qui

videbant

Digitized by Google

videbant plus Romæ flagitijs licere, quàm alibi gentium; ídque ignaviam Principis dicerent; conati ſunt licentiam repetitis edictis coërcere, finémque abuſibus ponere.

Id verò ut ſe habuerit, altiùs repetendum duxi, baſin enim ac fundamentum totius rei complectitur. Obſervandum igitur eſt, Jus Aſyli antiquiſſimum eſſe, & quamvis primò immunitas Aſyli quibuſdam tantùm Civitatibus, ſacríſque locis conceſſa fuerit, unde in antiquiſſima Judæorum Republica *Civitates Refugij*, & in Athenienſi *Aram miſericordiæ* (a) legimus; paulatim tamen, ut fieri amat, ipſa Immunitas adeò extendi, proferríque cæpit, ac in abuſum verti, ut ad quamlibet Cæſarum ſtatuam Aſylum metarentur; nec perditis hominibus ac ultimum ſupplicium meritis, promptius remedium eludendæ Juſtitiæ, quàm ſi Cæſaris imaginem amplecterentur; hanc verò ſcelerati quíque

ἐλέου βωμός. Pauſan. in Attic. lib. 1.

que in ſinu geſtabant, ut præſtò eſſet, quò poſt delictum confugerent. Quantùm hæc licentia proceſſerit, eleganter Tacitus deſcribit. (a) *Inſidebat*, inquit, *deterrimo cuíque licentia impunè probra, & invidiam in bonos excitandi, arreptâ Cæſaris imagine; libertíque etiam ac ſervi Patrono vel Domino cùm voces tùm manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur Cajus Ceſtius Senator diſſeruit: Principes quidem inſtar Deorum eſſe, ſed néque à Dijs niſi juſtas ſupplicum preces audiri. Abolitas Leges & funditus verſas, ubi in foro, in Limine Curiæ ab Annia Ruffina, quam fraudis damnaviſſet, probra ſibi & minæ intendantur, néque ipſe audeas jure experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam.* Credas Tacitum hodiernum Romanæ urbis ſtatum deſcripſiſſe, ſi quod ille de Principis imagine, tu de Principis Legato dicas. Ex hoc more ad ſtatuas confugiendi ortum proverbium: *Statuam amplecti.* Philoſtratus de ſtatua Tiberij: (b) *Impietatis damnatus quidam*

(a) Tacitus in Annal. l. 3. (b) Philoſtr. l. 1.

dam fuit, quòd ſervum ſuum verberâſſet, qui drachmam argenteam Tiberij imagine ſignatam habuiſſet. Sæpe à Senatu, ac Cæſaribus (a) Romæ laboratum eſt, ut hanc corruptelam delerent, extántque adhuc Principum Leges, hujus teſtes licentiæ, & edicta quóque pœnis armata. Nam primò cauſa illius, qui ad ſtatuam confugerat, ſtatim à Judicibus examinabatur; ſi noxium reperiſſent, duplici pœnâ caſtigabant, & quòd deliquiſſet, & quòd ſtatuam profanâſſet ſcelerato amplexu, ac velut criminum protectricem. Id ex Tacito patet, aliiſque locis ad marginem ſupra notatis. Deinde invaleſcente abuſu, non tantùm Principum ſtatuæ, verùm etiam ipſa Deorum templa criminoſis ſublata, adeò ut Suetonio, Tacitóque Auctoribus Senatûs Conſulto decretum fuerit, totâ Græciâ novem tantùm Delubris

V. L. 1. C. de his, qui ad ſtatuam Pr. conf. l. 8. ff de var. & extraordi. crim. l. 28. ff. de pœnit. &c.

Delubris jus Aſyli permittendum eſſe. Quod ſi tanta cura fuit Idolorum cultoribus hoc malo urbem liberandi, quanta Pontificibus eſſe debuit, quibus neceſſitas incumbit efficiendi, ut Roma non ſolùm innocens ſit, ſed etiam ſancta? Diſtinguam per annos, quid in hac re ſinguli Pontificum effecerint, ut tantò clariùs conſtet, quàm recens ſit abuſus magis quàm Privilegium, quod Gallici Oratores tanto conatu, tantáque offenſione Orbis Chriſtiani ſibi uſurpare contendunt.

Anno ergo *MCCCLX.* Electus eſt Urbanus V. quo tempore Cardinales jus Aſyli uſurpabant; at Urbanus penitùs ſuſtulit: id ei Petrarcha his verbis gratulatur: *Audiebam te licentiam peſtilentem ſalubri falce rigoris æquiſſimi præcidiſſe, illam dico, quæ ſceleſtos homines graviſſimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere ſolitos Legum modis, ac digno ſupplicio eximebat.* Ubi adverte, Urbani tempeſtate hunc abuſum

ſolis

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſolis Cardinalium ædibus concluſum, Legatíſque Principum ignotum fuiſſe; néque enim iſtos Petrarcha ſileret, & ad ſolos Cardinales abuſum reſtringeret, ſi ſoli non eſſent.

Anno MDLII. Julius III. publico edicto omnibus Baronibus, Comitibus, Domicellis, Principum Oratoribus, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Cardinalibus ſeverè prohibet, ne jus Aſyli aut Franchitiarum uſurpare audeant, declarátque læſæ Majeſtatis reos, qui Juſtitiæ miniſtris, ne illorum Palatia, plateáſque adjacentes ingredientes, reſiſtere audeant, ac inſuper abominandum ac deteſtabilem abuſum vocat. Ubi adverte ex hoc Julij Diplomate conſtare Aſylum & immunitatem localem, non fuiſſe eo tempore habitam, agnitámque pro jure Regijs Legatis debito, ſed pro injuſtiſſima potentiorum invaſione: ſi enim jus aut privilegium eſſet Legatorum, non Comites, non Barones, non Epiſcopi, & Cardina-

les

les eo uterentur, & tamen æquè iſti ac Regij Legati illud ſibi vendicabant. Et quî poſſet à Julio res *abominanda & deteſtabilis* vocari, ſi jus, aut privilegium eſſet? nec ullus aut Principum, aut Legatorum de injuria conqueſtus eſt, aut Diplomati adverſatus; quod manifeſto argumento eſt, non habuiſſe illos pro jure aut privilegio Legatis debito, alioquin ſi jura & privilegia ſua violari crederent, nunquam id ferrent, aut ſaltem non ſilerent. Præſertim cùm Julius ipſo anno vulgati Diplomatis cum Henrico Galliæ Rege pacem iniviſſet; quis verò credat voluiſſe recentem pacem turbare, violatis Galliæ Legatis, eorúmque privilegijs? Illud quóque pro Julij, aliorúmque Pontificum Diplomatibus diligenter notandum eſt, in præfati Julij III. Pij IV. Gregorij XIII. & Sixiti V. Bullis non reperiri vocem *Quarteriorum*, ſed tantùm *Franchitiarum*: Illa enim magis exprimit novellum jus Aſyli, quod à paucis

Digitized by Google

cis annis Legati uſurpârunt, quódque pro Legatorum arbitrio plures plateas, ædéſque complectitur, ex quibus facilè parvam aliquam Civitatem componas.

Anno MDLXI. Octo videlicet annis poſt Julij Diploma, aliud à Pio IV. in eandem ſententiam vulgatum eſt, quo *omnibus Cardinalibus, Oratoribus ac Magnatibus Romanæ urbis prohibetur, ne Aſylum aut receptaculum delinquentibus præbeant, néve ædes ſuas, aut alia quæcúnque loca Franchitias appellare audeant. Appellátque hunc Franchitiarum abuſum rem peſſimi atque pernicioſi exempli; enormem & deteſtandam.* Ubi iterum obſerva, fuiſſe hoc Aſylum non à ſolis Principum Legatis tanquam jus aut privilegium proprium, ſed paſſim à potentioribus, ut in rapto fieri ſolet, occupatum. In eodem Diplomate Pius teſtatur hanc ipſam immunitatem ſeu Franchitiam *non ab ipſis Cardinalibus aut Oratoribus utpote modeſtis & Juſtitiæ cultoribus, ſed plerúmque ipſorum familiarium culpâ*

Digitized by Google

culpâ & facto proceſſiſſe. Non ergo hoc jus fuit aut privilegium (id enim primò, præcipuéque Dominis competeret) ſed famulantium uſurpatio & violentia. Néque hîc quóque ulla Legatorum querela aut indignatio legitur, quaſi injuriam paterentur. Idem Pius *Anno MDLXV.* Graviter contra aliquorum Cardinalium, Magnatúmque licentiam in Conſiſtorio invectus eſt reos ſuis ædibus receptantium: proteſtans, id nupero Diplomati ſuo adverſari, ſéque omiſſis legibus, edictíſque jam tandem ad facta & pœnas proceſſurum.

Anno MDLXXIII. Hoc eſt, duodecim annis poſt Pij edictum, Gregorius XIII. Julij & Pij Edicta, pœnáſque confirmat, & Franchitias non à ſolis *Principum Oratoribus*, ſed primo loco à *Primatibus*, & Cardinalibus, ac deinde à *Principum Oratoribus* uſurpatas eſſe teſtatur; non ergo hoc Legatorum privilegium fuit, ſed Cardinalium & Præpotentium uſurpatio, quos

Legati imitati ſunt æmulatione au-ctoritatis, atque ut fieri ſolet, exemplo in alios alióſque graſſante.

Anno MDLXXXV. Sixtus V. ſimili omninò Conſtitutione Franchitias ſeu jus Aſyli perſecutus eſt, declaravítque priorum Pontificum Bullas, pœnáſque inflictas non tantùm comminatorias fuiſſe; quique illas transgrederentur, non ſolùm ficto, ſed vero Majeſtatis delicto obſtrictum iri. Poſt Sixti Diploma uſque ad Urbanum VIII. non extant aliæ de hac re Pontificum Conſtitutiones; nam cùm lex juſta eſſet, & Sixtus in ijs præſertim, quæ ad Juſtitiam, quietémque publicam pertinent, nemini parceret, nullo plebejorum aut Magnatum diſcrimine; credi omninò debet Jus hoc Aſyli penitùs profligatum eſſe. Sanè Traianus Boccalinus (a) in ſuis ad Tacitum Commentarijs (vixit Boccalinus ſub Paulo V. quin-

(a) Boccalinus Commentarijs in Tacit. lib. 3. fol. 219.

Digitized by Google

quindecim circiter annos poſt obitum Sixti) teſtatur, poſt tempora *Gregorij XIII. quando non Cardinales tantùm, Magnatéſque, ſed ferè nobilium quilibet jus Aſyli ſibi vendicabat, hunc abuſum ita ſublatum eſſe, ut Domui Dei plena ſecuritas redderetur, & Scelerati ubique ac nullâ locorum exceptione punirentur.* Ubi obſerva, abuſum hunc Aſyli ex nullo jure Legatorum proveniſſe; ſed ex promiſcua Magnatum ac nobilium licentia. Haud equidem ignoro, etiam poſt Sixti Conſtitutionem hujus mali ſcintillas aliquas micuiſſe reis in Magnatum Palatijs impunitatem quærentibus; ſed non ideò ſecuri erant, quippe Miniſtri Juſtitiæ omnes vias, areáſque Legatorum Palatijs contiguas percurrebant, nullo obſiſtere & repugnare auſo; idque ex publicis monumentis & tabularijs conſtat, in quibus quàm plurima hujus rei exempla occurrunt.

Anno MDCXXVI. Cùm iterum aliquæ hujus abusûs reliquiæ gliſcere inciperent

Digitized by Google

perent, Urbanus VIII. Julij, aliorúmque Pontificum conſtitutiones renovat, additâ etiam pro qualitate delicti pœnâ mortis, in omnes quoquot Juſtitiæ effugiendæ causâ in Baronum, Cardinalium, aut Legatorum ædes ſe reciperent, eorúmque nomen invocarent. Repetitum fuit hoc edictum Urbani à Romanæ urbis Gubernatore Racagna *anno 1634.* Pontifice id ipſum per Chirographum urgente.

Anno MDCXLIII. Sub eodem Urbano ingenti diſſidio inter Hiſpanicum Oratorem Marchionem (a) de los velos, & Lamecenſem (b) Epiſcopum Luſitaniæ Legatum exorto, totâ nocte Hiſpanici, Gallicíque Oratoris (ad quem ſe Epiſcopus receperat) Palatia militaribus manipulis, excubijſque obſervata ſunt. Imò Hiſpanico Oratore ad ædes Cardinalis Albernozij devecto conſultandi causâ, alia militum

(a) Marcheſe de los Velos. (b) Monſig. Veſcovo di Lamego.

litum Centuria, cuſtodiendo Palatio Cardinalis à Pontifice miſſa: nec tamen ulli Legatorum in mentem venit, quamvis Palatia ſua militaribus cuſtodijs obſepta viderent, ut de violata Legatorum immunitate conqueri auderent.

Anno MDCXLIX. Innocentio X. Pontifice, cùm duo (a) ſicarij per hortos Quirinales totidem nobiles Neapolitanos interemiſſent, peractóq; homicidio Oratoris Gallici Palatio ſe abdidiſſent; immiſſi continuò cum militum Centuria ſatellites, ingreſſique Palatium Sicarios ad ſupplicium eduxêre, Gallico Legato ne verbo quidem auſo repugnare. Denique non tantùm ex quàm plurimis exemplis, actíſque & Protocollis, ac Tabularijs publicis; ſed etiam totius Romæ teſtimonio certum, notoriúmque eſt, ſub Urbani & Innocentij longis Pontificatibus liberum fuiſſe Juſtitiæ curſum, nullóque immuni-

(a) Ballì de Valences.

tatis aut Aſyli prætextu impeditum; imò ſub ipſius Alexandri VII. initijs, quid hæc Legatorum immunitas & Aſylum, ſeu Franchitiæ eſſent, Romæ ignoratum eſt.

Anno MDCLV. Sueciæ Regina ingenti Magnificentiâ Romæ excepta, ac omnibus regijs honoribus culta cùm Palatium Farneſium, quo poſteà Galliæ Legati uſi ſunt, ad habitandum delegiſſet; nunquam de hoc Aſylo aut immunitate poſtulanda cogitavit, quamvis Regina eſſet, nec etiam *anno 1659.* quando Romam reverſa eſt. Licèt poſteà *anno 1668.* tertiò Romam delata, cùm videret hanc immunitatem à Legatis prætendi, ipſa quoque eodem jure frui voluerit.

Anno MDCLXIV. Conventio Piſana inter Pontificem Maximum Alexandrum VII. & Regem Chriſtianiſſimum Ludovicum XIV. inita eſt, litéſque utrinque compoſitæ, quæ ob violatam (a) Ducis Crequij Gallici Legati

(a) Duca di Crequi.

Digitized by Google

Legati Perſonam inſolentiâ Corſicæ militiæ magna Italiæ mala minabantur, & quamvis ea conventio non admodùm læta fuerit Apoſtolicæ Sedi, in ea tamen maximè, claréque eluxit, quantum Galliæ Legati ab ea immunitate, ac jure ſeu privilegio Aſyli abfuerint, quod modò minaciter, impenſéque poſtulatur. Cùm enim Galliæ Legatus injuriam à Corſis acceptam vehementer amplificaret, eámq; reparari enixiſſimè peteret, inter alios pacis articulos à Principe Matthia fratre magni Etruriæ Ducis Romam tranſmiſſos is etiam fuit: *Ut ad majorem Gallici Legati ſecuritatem, non ampliùs Apparitoribus ſeu ſatellitibus, militibúſque licentia permitteretur Farneſiam plateam* (in qua Legati ædes) *obeundi.* Ad quem articulum (uti ex Tabularijs & documentis Statûs ſecretariæ conſtat) nomine Pontificis reſponſum eſt: *Non poſſe in hanc conditionem nullâ ratione conſentiri; curaturum tamen Pontificem tam Gallico Legato quàm ejus palatio, famiʼ*

 líaque

Digitized by Google

liæque eam obſervantiam, cultúmque exhiberi, quem in alijs Principum aulis mos ſit Legatis præſtari. In quem locum Auctor Hiſtoriæ ſuper hoc argumento Typis vulgatæ hunc Comentarium ſcripſit: *Plateæ, areæque Farneſiæ immunitatem quod attinet; non potuit illa à Pontifice cedi; quid enim id aliud eſſet, quàm Pontificem Dominium ac Juriſdictionem abdicare, & illius Urbis partis & quàm plurium locorum, quæ ab aliјs Legatis Romæ obtinentur, quáſque exemplo Gallici Legati æquè exemptas, immunéſque ac Pontifici abſtractas omnes Legati velint?* (a) Hæc Reſponſio tam æqua viſa eſt Galliæ Legato, ut poſtulatis abſiſteret, contentus in colloquio de hac re habito cum Raſpono Alexandri Plenipotentiario: *Ut deinceps curaret Pontifex debitam venerationem Galliæ Legatis exhiberi, ídque ut fieret, eas cautelas adhiberet, quæ aliјs Legatis ac præſertim Nuntiјs Apoſtolicis adhiberi ſolent.* Et in articulo 9. Piſanæ Compoſitionis inter Raſponum

&

(a) Monſig. Raſponi Anno 1663. die 3. Junij.

& Bourlemontium Pontificium, Regiúmque Plenipotentiarios nullâ Franchitiarum Aſylive mentione, ita demùm conventum eſt: (a) *Seriò enixéque Pontifex Maximus Miniſtris ſuis imperabit, ut Galliæ Legatos eâ veneratione ac honore proſequantur, quæ illis debetur, qui tanti Regis, Eccleſiæq; Primogeniti, támque à Summo Pontifice amati, cultique Perſonam ſuſtinent.*

Aliquot menſes poſt Piſanam Conventionem Dux Crequius Romam repetijt, nihilque ab eo tentatum (brevi videlicet tempore, quo Romæ hæſit) ut videri poſſet immunitatem, Aſylúmque prætendere tam ardenter ab illo priùs expetitum, támque ab Alexandro conſtanter negatum. Patet ergo ex his omnibus, quæ in Piſana Conventione ac etiam poſt illam contigêre, nunquam jus Aſyli & Franchitiarum ad principum Legatos pertinuiſſe; nec enim Gallus

(a) Monſig. Raſponi M. Bourlemont Anno 1664.

inter alias conditiones Pontifici propoſitas hoc jus peteret, ſi jam haberet. Ille quoque loquendi modus, quo Crequius uſus eſt, videlicet: *Ut deinceps ad majorem Legatorum ſecuritatem non ampliùs permittantur Miniſtri juſtitiæ Farneſiam Plateam percurrere.* His, inquam, verbis apertè Gallus confitetur novi aliquid à ſe peti, & hactenus Legatis inconceſſum. Ipſe quoque Pontifex Alexander quamvis neceſſitate adactus duriſſimis conditionibus annuiſſet, nec tamen induci potuerit, ut Aſylo conſentiret, omninò palàm fecit, hoc jus ad Legatos non pertinere; quî enim Gallis negaret debita & neceſſaria, qui pejorum metu tam multa conceſſerat indebita, nec neceſſaria? ſed & Crequius Galliæ Legatus, quando nullam ampliùs Aſyli mentionem fecit, acquievitque negant i Pontifici, ac dum Romam reverſus eſt, nullam ampliùs hujus privilegij curam aut deſiderium præſetulit, planè oſtendit, illud Legatis non

non deberi; alioquin ſi deberetur, nunquam ferret ſe illo privari, præſertim Rege jam armato, & Pontifice belli avertendi cauſâ in omnia prono. Crequio Duci Legatione Gallicâ abeunti Dux (a) Chaulnes ſucceſſit. Hic equidem aliqua molitus eſt, quibus hoc jus Aſyli vendicare videbatur, ſed Pontifice non ſolùm invito & repugnante, verùm etiam liberrimè omníque loco ac etiam in vicinia Palatij Farneſij (ubi Chaulnes morabatur) Juſtitiam, ut poſteà dicetur, adminiſtrante.

Anno MDCLXVII. Clemens IX. Pontificatum adeptus eſt. Hic mitiſſimis licet moribus, ac in Galliam præſertim indulgentiſſimis, nunquam tamen paſſus eſt à Principum Legatis Aſylum aut Franchitias occupari, idque Romæ notorium eſt: conſtátque ex Tabularijs & Protocollis eo tempore ſcriptis, in Caupona ad Gallum Farneſio palatio vicina

(a) Duca di Chaulnes.

(quam Galliæ Legatus de Chaulnes incolebat) in delinquentes animadverſum eſſe. Non ergo ſub Clementis IX. Pontificatu hoc jure Aſyli & immunitatum Legati gaudebant.

Anno MDCLXX. Clemens X. in Pontificem delectus eſt, & hoc præſertim tempore abuſus Franchitiarum apud Legatos invaluit. Hi enim non contenti hanc immunitatem & Aſylum ſibi arrogare, eo quoque omnes Domeſticos, Familiares, Opificéſque potiri volebant, quotquot Legatorum inſignia, quamvis ab iſtorum palatijs remotiſſimi ædibus ſuis præferrent. Deinde non tantùm cùm Romam primùm inveherentur, ſed toto tempore, quo illic morabantur; haud permiſſum Telonarijs accedere, ſuóque officio fungi, magno Domeſticorum lucro, ſed ingenti Cameræ Apoſtolicæ damno: & quamvis Pontifex manſuetudinis Sacerdotalis memor, vi pœníſque abſtineret, ſemper tamen & Romæ, & in Principum

aulis

aulis contra hos abuſus declamatum eſt, adeò ut nullus legitimæ Poſſeſſioni aut præſcriptioni locus eſſe potuerit, quippe invito ſemper Domino, & juri, dominióque ſuo nunquam cedente; non ergo hæc præſcriptio dici potuit, ſed uſurpatio, quæ nunquam legitimum titulum parit, alioquin & latrocinia defendi poſſent, & quidquid vi aut potentiâ à debilibus extorquetur. Crediderim ego, his Legatorum conatibus anſam dediſſe ſimultates, quas cum Cardinali Alterio exercebant ob novum edictum, quo Legati vectigalibus ſubdebantur; réſque eò proceſſit, ut obductâ catenâ tormentis pulvere, plumbóque oneratis, auctíſque militum excubijs Portæ Quirinales obſervarentur.

Hâc, inquam, occaſione crediderim, Gallum, Hiſpanum, Venetum, Cæſareúmque Legatos (qui in communi cauſa velut ex condicto, unitímque agebant) de uſurpandis, proferendíſque Aſylis cogitâſſe. En

Æram, annúmque natalitium iſtius tam recentis abúſus, & quem tamen Lavardinus tam vetuſtum deprædicat, ut ſaltem antiquitate venerabilem reddat. Quanquam ne illo quidem anno dici poteſt fuiſſe natus, cùm, ut ſuprà monui, nec Poſſeſſio, nec Præſcriptio naſcatur, quando & quoties Dominus reclamat.

In hoc rerum ſtatu *Anno* videlicet *MDCLXXVI.* Pontificatum inijt Innocentius XI. Prima hujus Pontificis cura illa fuit, ut corruptelas Aſyli profligaret, utque tanto malo ſuaviùs mederetur, minoríque dolore, non cum Legatis, ſed cum Principibus, qui illos miſerant, res peragi cœpta. Iſtis, quàm ingentia, & quàm multa eſſent mala, quæ ex hujuſmodi immunitatibus provenirent, efficaciter demonſtratum, ac præſertim Chriſtianiſſimo Regi per Vareſium (a) Pontificis Nuntium. Hic enim, ut ex epiſtolis liquet, quas Romam de hoc argumento

(a) Monſig. Vareſi Sig. de Pompona.

Digitized by Google

mento dedit, ſæpè multúmque cum Pompona, ipſóque Rege locutus eſt, evicitque validiſſimis rationibus, ut ſæpè per Pomponam pollicitus Rex fuerit, ſe in hac cauſa non minùs Pontifici, quàm alios Reges gratificaturum, nec inter iſtos ſe ultimum fore. Idémque poſteà Vareſio Nuntio Rex ipſe repetijt. Regius quóque Confeſſarius Pater la Chaiſe Vareſij rationibus ſe victum profeſſus eſt, addidítque, Patrem Olivam Societatis Generalem, cùm ſibi de hoc argumento ſcripſiſſet, faſſum eſſe: *Recordari ſe, hunc Immunitatis abuſum à paucis annis cæpiſſe.* Hæc Regij Confeſſarij tam ingenua conteſtatio tantò pluris eſſe debuit, quantum ab eo profecta, qui Principis conſcientiam moderabatur, & cujus partes erant non monere tantùm, ſed etiam vetare, quidquid animam Principis perdere poſſet. Quis jam non crederet, ſecurum eſſe Pontificem tot Regijs promiſſis? & tamen mutavit aula; reſcripſitque Vareſius, propoſuiſſe

poſuiſſe Regem Immunitatem tueri, & hanc inter jura reponere Galliæ debita, longíſque retrò annis poſſeſſa. Creditur hanc mutationem Româ ab Eſtreo Duce proveniſſe, cui non pauca emolumenta à delinquentium patrocinio.

Evenit intereà, Apparitorem, qui ex loco haud procul Româ redierat, in platea Farneſia ab Eſtreo Legato detineri. Id cauſam Pontifici dedit, regias aures iterùm pulſandi, edicendíque Cardinali Roſpiglioſo, qui pro Eſtreo poſtulabat: *Se quidem metu pejorum connivere, nunquam tamen Legatos deinceps admiſſurum, niſi injuſtiſſimo hoc Immunitatum jure decederent.* Effecítque ut dixerat. Barbaro Venetâ legatione abeunti Zenus ſucceſſerat, & Apparitores Juſtitiæ ab ejuſdem Legati familiaribus malè accepti fuerant, cùm propè S. Marci palatium obſervati eſſent; continuò edictum pependit, quo percuſſores mortis damnabantur, & ſpes omnis Legato adempta

viſendi

viſendi Pontificem, ſicque Româ abſceſſit, deletúmque ejus loci Aſylum, nec alius à Republica ſuffectus Legati dignitate.

Anno MDCLXXVII. Edictum Romæ vulgatum, quo ijs vita & bona adempta, quippe læſæ Majeſtatis reis, qui ad hujusmodi Aſyla perfugerent. Id poſteà edictum *Anno 1680.* repetitum eſt, ſed multò quàm antè ſeverius.

Anno MDCLXXIX. Cùm Romæ innotuiſſet Legatum Pariſijs venturum; per Abbatem Laurum (nam Legatus Vareſius jam mortem obierat) Regijs Miniſtris Pomponæ videlicet Colbertóque ærarij Præfecto, ac poſteà ejus fratri Colberto Croſij ſecretario Statûs nomine Pontificis inſinuatum eſt, nunquam ab hoc Legatum admiſſum iri, qui non priùs Aſylo ac immunitatibus cederet injuſtè occupatis; additæq; à Lauro invictæ rationes, ſed nihil in aula promotum.

Anno MDCLXXX. Dux Radzivilius quanquam Polonici Regni præcipuus,

puus, Regiúſque Cognatus ac Legatus extraordinarius, & eo comitatu invectus, quo principem decebat tot partibus inſignem, non tantùm Aſylo ceſſit, eóque nunquam ex Regis ſui imperio uti voluit; verùm etiam res & impedimenta viſitari à publicanis permiſit, nullo tamen aut ſuo aut Regis dedecore; quis enim dedecus dicat, aliena non rapere, & ſacrilegio abſtinere?

Anno MDCLXXXIII. Diſcedente Carpio (a) Marchione ad ineundam Neapolitani Regni Præfecturam, mox vicum Plateámque Hiſpanicam & Palatij viciniam ſatellites percursârunt, nec ceſſatum novo Hiſpaniæ Legato Marchione Cocogliudo: nam non priùs hunc Pontifex pro Legato agnovit, quàm profeſſus eſſet, ſe ex Regis ſui imperio Aſylo ceſſurum.

Anno MDCLXXXVI. Romam advenit Comes de Caſtelmaine extraordinarius Angliæ Regis Legatus, nec alia optatior

(a) Marcheſe del Carpio.

Digitized by Google

optatior Legatio, aut majori gaudio Pontificis animum impletura; nam à centum retrò annis nullus ex Brittannia Legatus, quippe & rebelli, & perſecutrice Pontificis. Jam Rex ipſe Romanis genibus advolvebatur, quid poſſet gratius evenire Pontifici? & tamen maluit hoc etiam gaudio fraudari, quàm aliquid committere indignum Pontificis Majeſtate ac Juſtitiæ adverſum. Indictum ergo Angliæ Legato, niſi Aſylo renuntiaret, recipi à Romano Pontifice non poſſe. Renuntiavit Legatus, ac etiam res ſuas obſervari à publicanis permiſit, nullo Regis dedecore, quippe ſpontè & juſta cedentis, cùm nihil aliud à Pontifice peteretur, quàm ut Regij Legati Romæ eodem jure, quo in alijs Principum aulis haberentur. Planè hac in cauſa non potuit major eſſe aut Religio Anglici Regis, aut Conſtantia & Rectitudo Romani Pontificis. Quid enim Anglus petere non poterat in præmium reductæ Religionis jam

centum

Digitized by Google

centum & ultrà annos Angliâ proſcriptæ? aut quid majus vereri Pontifex, quàm eum offendi, è cujus manu, arbitrióque Religio pendebat? & tamen neque iſtum tam grandis metus, neque illum tam grande meritum ad dexteram, ſiniſtrámve permovit. Omninò fateri oportet fuiſſe hanc actionem magno Rege, maximóque Pontifice dignam, & parem heroicis illis, antiquíſque facinoribus, quæ tantoperè in hiſtorijs decantantur. Non credidit Innocentius lucrum tam grandis Regni tótque animarum Deo probatum iri, ſi turpi conniventiâ, ac modis Pontifice indignis pararentur: quomodo enim turpia & indigna placere poſſint tam magno, tam generoſo & indolis infinitè nobilis, honeſtæque? num ergo Omnipotentia Deum defecit, ut Regna, animáſque lucrari non poſſit, verámque Religionem Anglis perſuadere, niſi adulatione & artificijs non Deo tantùm, ſed quovis honeſto ſenatore indignis?

indignis ? *Agat Pontifex, quæ non decent, ut Deus Angliâ potiatur.* Miſerum Deum! ſi opus habet tam ſordidis conſilijs, ſuáqueMajeſtate indignis! imò pereat potiùs Anglia, quàm ut Pontifex ſe ad indecora & inhoneſta demittat. Quid faciunt in Cœlis tot Legiones Angelorum, ſi Religio florere non poteſt niſi humanis flagitijs? Eadem Jobo, quæ Innocentio mens fuit, quando dicebat: (a) *Nunquid indiget Deus mendacio veſtro, ut pro illo loquamini dolos?* Et Apoſtolo: (b) *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Et quid ſanctos & Apoſtolos loquor? Ipſi quóque Ethnici hanc veritatem profeſſi ſunt. Simultas Athenienſibus cum Spartanis erat alioquin fœderatis. Athenis in ſenatu de bello agitatum. Themiſtocles ſenatorem petijt, cui modum in abdito patefaceret hoſtes profligandi: datus Ariſtides, cui arcanam fraudem expoſuit, quâ Spartana claſſis incendi poſſet. Redijt Ariſtides

(a) Job. 13. (b) Ad Rom. 3.

Digitized by Google

Ariſtides ſenatu ſuſpenſo, ac magnum aliquid præſtolante; tunc ille: *Perutile eſt Reipublicæ Themiſtoclis conſilium, ſed minimè honeſtum.* Exclamavit ſenatus: *Quod honeſtum non eſt, non poteſt eſſe utile.* Ita Cicero & Plutarchus narrant. Scio ætatis noſtræ Politicis hæc axiomata haud probari, quibus videlicet tota fiducia in blandiendi, fallendíque artibus, nullâ curâ honeſti: at ego non Politicis ſcribo, ſed veritati, & huic tandemo mnia cedent.

Anno MDCLXXXVI. Dux Eſtreus Galliæ Legatus repentinâ ferè morte ſublatus eſt, voluítque Pontifex exequias paratiſſimè celebrari, eâdémque Pompâ, quâ Decanus Cardinalis efferri ſolet; nec ante Cadaver conditum permiſſum Juſtitiæ Miniſtris, ut plateam, viciniámque Farneſiam obirent. Tantò pluris hæc humanitas Pontificis fuit; quòd cadaver Apoſtolici Nuntij, quamvis Archiepiſcopi, diù Pariſijs inſepultum jacuit, tanquàm Parochialibus juribus ſub-

Digitized by Google

ſubderetur. Mortuo ergo elatóque Eſtreo, juſſum Apparitoribus, ut plateam Farneſiam percurrerent, datæq; ad Ranuccium Cardinalem Pontificis Legatum literæ, quibus jubebatur Regi factum, rationéſque Pontificis exponere; fecítque Ranuccius eâ facundiâ, momentiſque argumentorum, quæ æquitas cauſæ merebatur, ſed Rege immoto, & Legato, qui immunitatem tueretur, proficiſci juſſo. Eſtreus quoque Cardinalis, qui eandem immunitatem tanquàm Galliæ comprotector ambiebat, Româ exceſſit, delegítque villam prope Portam S. Pancratij. Hæc omnia Pontificem impulêre, ut Bullam tandem vulgaret in ipſo Pontificatûs ſui limine deſtinatam, retentámque, ac ab omnibus Cardinalibus, qui Romæ morabantur, ſubſcriptam, Eſtreo & Maidalchino exceptis, qui cauſas cur ſubſcribere haud poſſent, ſe Pontifice coràm allaturos ſpopondêre. Miſſa ad omnes Legatos exemplaria, juſſique

juſſique Principibus inſinuare. Repetebantur in hoc Diplomate ſuperiorum Pontificum pœnæ, additâ Excommunicatione majori ipſo facto incurrendâ, ſolíque Pontifici reſervatâ in eos omnes, qui jure Aſyli, aut potiri, aut uti vellent; cùm enim nemo ampliùs ſupereſſet ex Magnatibus Pontifici ſubjectis, qui ſibi hoc vendicaret, credidit Pontifex, non alijs armis, quàm ſpiritualibus utendum, quibus nemo Chriſtianorum exemptus eſt.

Rege intereà Lucemburgo Pariſios reverſo, non omiſit Ranuccius apud Regem, Regióſque Miniſtros inſiſtere, ne Legatum ad Pontificem mitterent, niſi jure Aſyli abdicato, alioquin nunquam Romæ pro Legato habitum iri. Idem Lavardino ſæpiùs repetitum, ac tum præcipuè, cùm profecturus Nuntium Apoſtolicum inviſeret. Quamvis enim hic millies teſtaretur, ſe ad Pontificem gratiſſima afferre, ac plena reverentiæ,

ſemper

ſemper tamen reſponſum eſt, nihil iſthæc profectura, niſi Aſylo abſiſteret.

Sub initium ergo Septembris Lavardinus lentis itineribus Italiam versùs profectus eſt terreſtri itinere; & mari familia, cui ingens Officialium, militúmque ex Gallica Claſſe numerus acceſſit. Pontifex intellecto Lavardini in Italiam adventu, denuntiari iterùm juſſit Eſtreo Cardinali, ſe nunquam Lavardinum pro Legato habiturum, ſi jure Aſyli potiri vellet. Sed & omnes Cardinales, Prælatíque, quotquot Romæ agebant, juſſu Pontificis moniti ſunt, recordarentur Pontificij Diplomatis, quod ipſi ſubſcripſerant, quóque omni ſocietate cum Lavardino arcebantur: quippe qui contra omnium Principum, Gentiúmque jura toties recuſatus, vi tamen, & in contemptum Principis Legatum ageret, ſéque in cenſuras & anathemata ſponte indueret, ſimúlque juxta Galliæ Conventiones & Concordata ijſdem

Digitized by Google

Cenſuris omnes, qui cum eo agebant, involverit.

Sufficeret hiſtorica hæc enarratio, ſuíſque annis diſtincta ad evertendum, quidquid pro hac immunitate tuenda Lavardinus, aliíque ſcripſerunt. Id verò ut palàm fiat, juvat aliqua obſervare.

Et *primò* quidem has Immunitates non poſſe ex jure Legatorum, aut ex Principum, à quibus mittuntur, reverentia proficiſci. Vidimus enim eas non à Legatis tantùm, ſed ab omnibus ferè Baronibus, Magnatibus, Cardinalibus, imò, ut Boccalinus loquitur, à quovis ferè nobili occupatas eſſe. Quî ergo dici poteſt Legatis proprium, quod tam multis commune fuit? Nec potiori titulo Legati quàm alij; omnes enim uno eadámque modo uſurpabant: nec Pontifices omiſiſſent juris, aut privilegij reminiſci, ſi aliquod Legati haberent.

Digitized by Google

Secundò. Quoties Pontifices in has immunitates edictis pugnabant, nullum unquam (excepto Lavardino) legas repugnâſſe, aut jus aliquod prætexuiſſe; quod manifeſto argumento eſt, nunquàm fuiſſe à Legatis pro legitimis habitas: quis enim credat ex tot Principum Legatis, ſuorúmque jurium, etiam quæ non habent, tenaciſſimis, auſum neminem eſſe, non dicam obniti, ſed ne conqueri quidem, ſi illis fiderent? Tacuerunt, quia nulla ſuppetebat ratio loquendi.

Tertiò. A Julio III. uſque ad viventem Pontificem, quoties ſcintilla aliqua micabat iſtarum immunitatum, toties edictis pæníſque obſtitiſſe Pontifices; quod ſolùm ſufficeret abrumpendæ Præſcriptioni; ſi enim mille annorum ſpatio nemo me invito & Judicem appellante domum meam præſcribere poteſt; quî poterit tantam urbis partem tanquàm amplam Juriſdictionem?

Quartò. Imò non tantùm edictis Pontifices contra hujuſmodi immunitates pugnârunt, quod, ut dixi, ſufficeret, ne præſcribi poſſent; verùm etiam reipsâ abolitæ, ſublatæque; idque *tum* ex ſilentio Legatorum conſtat, quo Pontificijs edictis acquievêre: *tum* ex publicis documentis & Protocollis, in quibus quàmplurimos actus reperire eſt, adminiſtratæ per Apparitores Juſtitiæ, idque in ijs ipſis locis, quæ modò exempta jactantur, Legatis nihil auſis repugnare: *tum* ex Petrarchæ, Boccalini, Patris Olivæ Societatis Jesu Generalis: imò ex totius ferè urbis teſtimonijs, quæ hodiéque recordatur, uſque ad Clementis X. Pontificatum liberam fuiſſe Romam tam turpi, noxiáque ſervitute, quamvis Clemens (ſive ob feſſam annis ætatem, ſive ob ſimultates inter Cardinalem Nepotem, Legatóſque alijs ex cauſis ortas) edictis, pœníſque abſtinuerit; certum tamen eſt, graviſſimè apud Principes conqueſtum eſſe, quod

quod ſolum ſufficeret præſcriptioni truncandæ. Sed nihil æquè hanc veritatem oſtendit, ut Piſana Conventio, in qua licet Crequius Galliæ Legatus hanc immunitatem enixiſſimè peteret, eámque novam, & inſolitam eſſe fateretur; licet Pontifex Alexander temporum acerbitate duriſſimas conditiones acciperet; nunquàm tamen immunitas impetrari potuit: ceſſitque Legatus, cùm Pontificem obfirmatum videret: nec Romam poſteà reverſus de hac immunitate ac Jure Aſyli quidquam cogitavit, liberis Juſtitiæ Miniſtris, omnéſque urbis Regiones & plateas oberrantibus; non ergo tunc temporis hoc jure Legati gaudebant.

Quintò. Denique ex ijs, quæ hactenus narrata ſunt, palàm eſt, Innocentium XI. Pontificem Maximum in abolendis Legatorum Aſylis ſummo quidem jure proceſſiſſe, ſed ſummâ quóque moderatione, ac planè pacatiſſimâ, & Patris potiùs, quàm Prin-

Digitized by Google

cipis more. Primò nihil curſim & impetu factum, ſed omnia diù, lentéque maturata, ac priùs undecim annorum ſpatio diſcuſſa, quàm Bulla ederetur. Deinde nihil contra Legatos à Pontifice decretum, imò omni honore obſervati, preces tantùm & querelæ in aulis Principum ac Pariſijs porrectæ, idque toties, támque efficaciter, ut faterentur Miniſtri, juſta poſtulari, & Rex ipſe omnia promitteret. Utque ſuaviùs minorique pudore Gallia invitaretur, præmiſſa aliorum Principum exempla, Poloniæ videlicet, Angliæ, Hiſpaniæque, Aſylo cedentium: nihil quóque Romæ immutatum, dum Legati viverent, ſed expectatum, dum vitâ aut ſaltem Legatione abirent; ipſi quóque Eſtreo, quamvis defuncto tanta reverentia eſt habita, ut ante exequias nihil in Palatium, viciniámque Farneſiam Apparitoribus liceret. Ipſe Lavardinus, quamvis novo inuſitatóque exemplo Romam mili-

tariter

tariter invectus, ac Pugnatori potiùs, quàm Legato ſimilis, ædéſque Farneſias, ac vicinam regionem armatis, excubijs, circitoribus, pulvere plumbo, granatíſque ac omni apparatu militari implêſſet, perinde ac ſi caſtrum non Palatium occupâſſet, in eáque urbis parte Dominatum ambiret Pontifice excluſo; hæc omnia, quæ non dico nullus Principum, ſed nec ullus Civium domi ſuæ pateretur, Pontifex tamen placidiſſimè tulit, non arma, non Principum vicinorum fœdera, non pœnas oppoſuit, innocentiâ tantùm ſuâ & juſtitiâ nixus. Quæro, an à Pontificis, aliorúmque Principum Legatis Galliæ Rex hæc fieri Pariſijs pateretur? paſſus eſt tamen Innocentius. Quid potuit ampliùs? Nam Cenſuras quod attinet, non illas Pontifex in Lavardinum vibravit, ſed Lavardinus ſe ultrò in illas induit. Quæ culpa Venatoris, ſi jaculum in feras deſtinatum tu ſpontè incurras? nec enim Innocentio

animus fuit, cùm ſub pœna Excomunicationis Aſylum prohibuit, ut Lavardinus eam incideret, ſed ut vitaret; ſi ergò noluit vitare, ſed potiùs incidere, non Innocentius accuſari, ſed Lavardinus debet; nam ut benè obſervavit Auguſtinus: *Non vult ferire, qui dicit cave.*

Hactenus ordine Hiſtorico expoſuimus originem, progreſſúmque Aſylorum, quæ à Gallico Legato tantâ contentione expetuntur; ſupereſt, ut oſtendamus, quas ob cauſas Innocentius XI. abolita ea voluerit; multæ enim, graviſſimæque Pontificis animum urgebant, ac tantæ rei pares.

III. *Primò* infiniti abuſus, qui huic immunitati miſcebantur. Nulla ferè urbs populo ſacro, profanóque ac præſertim externo frequentior: par populo delinquendi licentia multitudine ac exemplis protecta, ſed præſertim facilitate impunitatis, ſparſis totâ urbe Aſylis; nullum enim crimen,

men, cui non continuò Palatium aliquod, imò vicus pateret; hîc ſecura flagitia, imò Principi inſultantia; quanto hoc fidelium ſcandalo in ipſo Religionis domicilio, non impunitam tantùm impietatem videntium, ſed etiam florentem, minacémque? quanto Pontificis dedecore, qui videre, patíque cogeretur, quæ nollet? Nec verò corrigi abuſus, delerique aliter poterat, quàm ſublatâ causâ, hoc eſt, jure Aſyli. Quamvis enim Legati omnia pollicerentur, nunquam tamen favor, clientelæ, preces, largitiones, aliíque prætextus aberant reos protegendi, docuítque experientia, ſiſti flagitia non poſſe retentis Aſylis, & Legatorum promiſſa ſemper effectu caruiſſe.

Secundò. Non minima pars urbis ſupremo Pontificis imperio ſubducebatur, dominio inter tot Legatos velut inter tot Principes diviſo: quanta hæc ſervitus, quantúmque periculum, ne deinceps pejora ſequantur?

Tertiò. Nullibi terrarum hæc licentia permiſſa, cur ergo Pontifex pateretur, quod nulli Principum? aut cur Romæ liceret, quod Pariſijs, quod Londini, quod Viennæ, quod nuſquam licuit?

Quartò. Accedebat ſpes maxima rem tanti momenti feliciter explendi, modò Pontifex vadum experiri auderet, nec primo torrenti cederet. Quippe optima cauſa & juſtiſſima agebatur, ac omnibus probata. Conſtabat Pontificem non impetu, non indignatione, aliiſque privatis rationibus ferri, nullóque ſuo, aut ſuorum commodo, ſed ſolâ neceſſitate urbem purgandi tam indignâ, noxiáque ſervitute. Accedebat inſignis Veneratio, quam Innocentius ſibi toto Orbe Chriſtiano paraverat: ſumma morum integritas; animus omni affectu vacuus; nulla familiæ extollendæ, aut propinquorum cura, quos pro externis habere videbatur; publici tantùm boni immenſa ſollicitudo.

tudo. Urbs quàm plurimis, inſolitiſque corruptelis purgata. Religionis, diſciplinæque Eccleſiaſticæ flagrantiſſimus Zelus, nullo privatorum, magnatúmque delectu, nec tamen immodicus & accuſationi obnoxius, aut prudentiæ expers; id enim in hoc Pontifice præcipuum, quòd cùm animi magnitudine & conſtantiâ nec Bonifacio VIII. nec Sixto V. cedat, multò tamen illis moderatior, ſeveritate pacatâ, & amori ac reverentiæ in Principes mixtâ, quos nec provocet, nec tamen formidet. Populus, quantum licuit, oneribus ſublevatus. Summa Domi frugalitas, ſed foris ſumma quoque & major dictu, creditúque liberalitas, immenſo in Turcicum bellum profuſo auro; ſed præcipua in Deum fiducia, & ideò par fiduciæ felicitas, nec enim alium retrò ſæculis Pontificem reperias in proferenda Religione, magnitudine rerum geſtarum parem. Auſtria Turcicis armis, quæ totam Europam concuſſerant,

cuſſerant, liberata. Hungaria, Sclavonia, Croatia, Græcia, Peloponneſus præter Inſulas quàm plures Barbaris adempta, & quod mireris, hæc omnia ægro plerúmque Pontifice, nec tamen otioſo, ſed conſilijs, Legatis, ac præſertim immenſis Theſauris omnia promovente. Taceo alia, quæ modeſtiam Pontificis feriant, ſi palàm fiant, méque adulationis notent, quam averſor. Hæc ergo omnia, ut maximam Innocentio venerationem, ita parem fiduciam pepererant, fore, ut quidquid in tam ſancta cauſa, à tam ſancto Pontifice ac ipſis quóque hæreticis laudato fieret, ratum omnes Principes, acceptúmque haberent: & habuerunt planè, ceſſerúntque Aſylo.

IV. Cum ſolo Galliarum Rege pugna ſuperfuit, flagratque in hunc diem ſemper majori flammâ, ſed Pontifice æquè immoto, invitóque; nam præter rationes, quas ſuprà libavimus, illa quóque acceſſit; non poſſe Gallos

Gallos audiri, quin Principes omnes, qui Aſylo renuntiaverant, offendantur, quippe ſe ſperni crederent repeteréntq;jam conceſſa,pejori quàm anteà malo. Denique Innocentius à primo Pontificatûs ſui ingreſſu Chriſtianiſſimi Regis animum per Vareſium, per Laurum, Ranucciúmque Miniſtros ſuos pertentaverat, oſtensâ efficaciſſimis rationibus Aſyli abolendi neceſſitate; & à Rege magnificè reſponſum: *Se aliorum Principum exempla obſervaturum, nec ultimum fore, qui tam juſtæ petitioni deferret.* Quid ergo ſibi Pontifex non ſponderet à tam propenſa, teſtatáque Regis voluntate? Agebat tunc temporis Legatum Gallici Regis Dux Eſtreus, noluítque Pontifex ejus palatij prætenſam immunitatem, Aſylúmque turbari, dum viveret, ratus hanc quóque moderationem profuturam placando, lucrandóque Galliæ Regi, nec multò poſt Eſtreus vivis exceſſit. Juſſi ſatellites Palatij aream, viciniámque obire,

 hacte-

hactenùs juſtitiæ inacceſſam, non priùs tamen quàm elato funere, juſtíſque peractis, ut ſic quoque mortui cineribus veneratio haberetur. Regibus quóque denuntiatum, neminem à Romano Pontifice pro Legato habitum, admiſſúmque iri, niſi Aſylo renuntiaret. Videbatur Hiſpaniæ Rex obluctaturus, ſed continuò ceſſit, Pontificis & juſtitiæ, quæ ſola quærebatur, reverentiâ. Solum ergo cum Gallia bellum fuit. Diu illic dubitatum, quid fieri deberet Lavardino jam proficiſci, jam conſiſtere juſſo, donec tandem profectio decreta, imperatúmque Legato Aſylum tueretur. Mirari ſubit, quæ tandem cauſa Regem Chriſtianiſſimum impulerit, ut tanto ardore hanc cauſam promoveret. Nihil enim ejus dignitati decedebat, ſi omnium Principum exemplo, latrocinijs, ſacrilegijs, adulterijs, raptibus, homicidijs, alijſque urbis ſacræ flagitijs hoc præſidium ſubduceret: nec ideò minor, ſi non

ſerviret

ſerviret ſceleratis. Multis ergo in mentem venit, aliud hoc cum Pontifice bello quàm Aſylum quæri: nimirum, ut victorias Cæſaris moraretur Italiâ armis turbatâ: at ego nihil tale de Chriſtianiſſimo Rege crediderim; quidquid fuerit, Lavardinus Italiam tenuit, conſedítque haud procul Romam; ſed juſſu Pontificis nunquam in Provincijs Eccleſiaſticis apparatu Legati exceptus. Tandem ingredi urbem ſtatuit, delegítque Dominicam diem, decimam ſextam Novembris anni octuageſimi ſeptimi ſupra milleſimum ſexcenteſimum. Pompæ hic ordo fuit. Præibat ingens equitum armatorum globus, gladijs ſclopiſque brevibus, longis, medijs inſtructus, ſequebantur quadraginta currus impedimentis onuſti: poſt hos alia equitum æquè armatorum turma; tum acies nobilium in equis juvenum, aliíque magno numero famuli, qui rhedam Legati pedites ambiebant, in ea præcipuo loco Cardinalis

dinalis Eſtreus, purpurâ amictus; dexteram Legati uxor, lævam filia tenebat, ex adverſo Maidalchinus Cardinalis, cui ad ſiniſtram Legatus Gallicus. Jacti quoque in accurrentem populum argentei nummi, quibus ad Gallici Regis nomen celebrandum invitaretur, ſed à paucis acclamatum, ijſque miſerrimis. Subeuntem palatium binæ armatorum alæ, dexterâ læváque ſparſæ in equis excepêre, noctu excubiæ palatio adhibitæ, juſſæque militariter palatium, viciniámque obire, ne quis Aſylum turbaret: impedimenta quoque armatis vallata, ſubmovendis telonarijs: Nocturnum epulum Eſtreus Cardinalis Legatus exhibuit. Is primò ad Cardinalem Cibum, poſteà ad Summum Pontificem admitti petijt, ſed ab utróque rejectus eſt. Romæ interim pergebatur publicis, privatíſque precibus Deum implorari, ac ſupplicationes obiri, ſingulis Religioſorum ſodalitijs ad templa quoti-

die

die procedentibus ; crederes publicam calamitatem urbi imminere, eíque evertendæ Romam certatim laborare. Cùm Pontifici adventus & Pompa Legati nuntiaretur, fertur reſpondiſſe: *Hi in curribus, & hi in equis! nos autem in nomine Domini ambulabimus.*

V. Planè novâ ſpecie Roma intremuit, ipsíque Galli averſati ſunt; Legatum videlicet, pacíſque interpretem militari apparatu terrenti, bellantíque ſimilem alienam Civitatem invehi, arcémque Religionis calcatâ Principis Majeſtate; id à nullo Legatorum factum. Sed nec ulla tanti ſtrepitûs cauſa; ſi enim vim metueret, quantulæ hæ copiæ, ut armato Pontifici obſiſterent, cogeréntque invitum? ſi nihil metueret, quò tanti apparatus, niſi fortè ut Principi inſultaret? diſſimulabat interim, ferebátque Pontifex, contentus Legatum non agnoſcere, idque toti aulæ indictum. Inſtabat dies ſanctæ Luciæ ſacra, quæ in Lateranenſi Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia ſolemni ritu ac Legato coram peragi ſolet in memoriam Henrici quarti Galliarum Regis: juſſerat Pontifex, ſi Lavardinus adveniret (quippe cenſuris adſtrictus) continuò faces extingui, ſacrúmque abrumpi, ac cantum ceſſare. Id ubi Legato innotuit, differri jubet ſacram ceremoniam in alium diem: ſed Pontifice negante ullam eſſe differendi cauſam, cùm Canonici oſtendiſſent, inter eam Eccleſiam, Regémque conventum eſſe, ut Legati arbitrio ſtaret, quam diem eligeret, continuò acquievit, permiſitque transferri. Memorare id volui, ut moderatio Pontificis palàm fiat, flagrantis quidem, ſed intra rationem, citráque exceſſum, quod in Principibus rarum. Plura ſcribere omitto, quæ nihil refert ſcire poſteritatem; quippe aut minuta, aut offendendis animis apta, quos ego pacari malim, componíque. Illud tantùm adijciam, quod maximè hanc litem Romam inter, Galliámque incendit.

Nocte

Nocte Nativitati Salvatoris ſacrâ Lavardinus S. Ludovici Eccleſiam adit, ſacróque epulo accumbit, ſtrato pulvinari, aliiſque Legatorum inſignibus uſus. Re ad Pontificem delatâ non potuit pœnis, juſtáque ſeveritate ampliùs temperare, quam hactenus cohibuerat, quámque Lavardinus videbatur non tantùm provocâſſe, ſed etiam ab invito extorſiſſe. Conſtabat cenſuris obſtrictum eſſe ob uſurpatum Aſylum, armíſq; retentum; id enim ſub excomunicatione latæ ſententiæ, ipſóq; facto incurrendæ Pontificiũ Diploma prohibuerat: ferebat interim Pontifex, diſſimulabátque, & moras induciáſque nectebat. At poſtquam Lavardinus proceſſit, in ipſáq; Eccleſia, & totâ Româ ſpectante, ac cùm maximè oportebat Deum, ejúſq; Vicarium placare, contemptum profeſſus eſt, quid potuit aliud Pontifex, quàm ut tandem excitaretur toties excuſſus? & tamen tunc quóque modeſtiſſimè actum, nec ſupra neceſ-

ſitatem.

Digitized by Google

ſitatem. Jubet ergo per Cardinalem Vicarium interdictum Gallicæ ædi affigere adjectâ causâ: *Quòd Lavardinum notoriè excommunicatum ad ſacra admiſiſſent.* Potuit aliquid minus fieri à Pontifice, à toties provocato, offenſóque? Miſſi etiam à Gallis citatis equis veredarij, qui Regem omnia, quæ contigerant, cauſáſque edocerent: ſimúlque Apologiam Lavardinus vulgavit, quo factum purgabat, negabátque ſe cenſuras meruiſſe.

Lubet hîc obſervare, quantâ in hac cauſa moderatione Innocentius proceſſerit.

Nam primò noluit Pontifex novum Diploma, quo Aſylum perſequebatur, vulgari, vivente adhuc Eſtreo Duce Galliæ Legato. Mortuo Eſtreo præmiſſa ſunt exempla omnium Regum Principúmque Aſylo cedentium, ut tantò ſuaviùs Gallia invitaretur, minoríque pudore, ſi ultima cederet. Lavardinum quamvis militari, hoſtilíque paratu ingreſſum,

Digitized by Google

& armatis obſeptum, ac bellum, quàm pacem afferenti ſimiliorem; non tantùm Provincijs ac Urbe non prohibuit, quod facilè poterat, & nemo non Principum faceret; verùm etiam admiſit, tulítque fremente populo, & jura ac Principis Majeſtatem violatam eſſe conclamante. Quando non dico Rex Galliæ, ſed alius minorũ Principum hâc ſpecie Legatum domi ſuæ ferret, tantóque publicæ quietis damno? ſuperavit ergo Innocentius non ſolùm omnium Principum, verùm etiam privati Civis patientiam. Palàm quóque erat Lavardinum cenſuris eſſe implicitum, quippe violati Diplomatis reum: nihil tamen Pontifex movit, ſed ignoranti aut conniventi ſimilis rem tempori commendabat, minimo contentus, hoc eſt, pro Legato non agnoſcere, Deúmque publicis precibus placare. Nec unquam Lavardinum, pro excommunicato declarâſſet, niſi ille palàm & cum pompa contemptum profeſſus telum

telum ab invito extorſiſſet. Quòd ſi animus erat Pontificem ſpernere, quæ rogo neceſſitas id cum tanto apparatu, faſtúque oſtentare, ipſáque nocte flagrantis totâ urbe pietatis? Nec dici poteſt, non id Lavardinum prævidiſſe; nam Pontificis animum, cùm de feſto ſanctæ Luciæ ageretur, jam exploraverat. Sed age, Anonymi Auctoris Libellum quique Lavardini Advocatum ſe fecit, jam percurramus.

VI. Primò igitur opponit Anonymus: (a) *Nihil unquam injuſtius majoríque injuriâ contra Principum Legatos, quàm quod nuper Romæ contra Lavardinum tentatum eſſe.*

℟. Antiquiſſima eſt præpotentium querela, ut ſibi injuriam fieri dicant, cùm alijs faciunt. Quoties ovibus à Lupo objectum eſt, turbari ab illis fontem, cùm tamen infra lupum aquarentur? ſi injuria eſt, quidquid Gallo non placet; fateor magnam accepiſſe Lavardinum: & nego hinc oportere

(a) Pag. 1.

oportere injuriam æſtimari. Dicitur ergo injuſtum, quidquid fit contra jus alterius: priùs ergo probari oportuit, jus fuiſſe Lavardino, invito Principe, ad quem mittebatur, ſe pro Legato ferendi, implendíque metu & armis urbem, ut reliqua tamen ſuperiùs narrata, & quæ non dicam, nullus Principum, ſed néque ullus Paterfamilias domi ſuæ pateretur. Hæc ſi jure fecit Lavardinus, accuſare Pontificem poteſt; ſed cui mortalium perſuadebit, id jure factum? Comparentur, quæ Pontifex à Lavardino tanto jam tempore paſſus eſt Romæ, quæque Lavardinus à Pontifice; & mox conſtabit uter injuriam acceperit.

VII. Secundò: *Ignariſſimos eſſe jurium* dicit, (a) *quæ Regibus conveniunt, quicunque negare auſint, non pendere ex Principis arbitrio Legatos conſtituere; iſtis verò jure gentium honorem ac venerationem deberi: ſic omnium populorum moribus receptum eſſe, etiam*

(a) Fol. 2.

etiam cùm bello implicantur. Quæ ergo contra Lavardinum Pontifici Romano ſuggeſta ſunt, aliena eſſe à communi ſenſu omnium Gentium benè honeſtéque inſtitutarum. Poſſe quidem Regibus ſupplicari, ut Legatos ſuos amoveant, quoties publicam pacem turbant, aut aliàs hoſtilia moliuntur; dum tamen morantur, Legatorum more colendos eſſe. Ne apud incultiſſimos quidem Barbarorum auditum, lectúmque eſſe, ut eo prætextu Legatorum dignitatem violarent, quòd ipſi nollent Principum ſuorum juribus cedere. Hæc verò ſi locum habeant apud Principes merè ſæculares, multò magis apud Pontifices Romanos, quorum poteſtas precaria ſit, pendeátque ex filiali Principum reverentia, præſertim verò Galliæ Regum, unde tota in temporalibus Pontificum dignitas. Eſſe Romam omnium Gentium communem Patriam, ſicque oportere omnium Principum Legatis frequentari.

℞. Hæc Auctor longâ Oratione, ſed rebus vacuâ. Supponit enim Lavardinum Legatum eſſe, útque Legatus ſit, ex ſolius arbitrio Regis, qui miſit, pendere. Supponit iterùm, ſi

Rex

Rex Legatum removere nolit, quamvis ex juſtiſſimis cauſis id Pontifex petat, nihilominùs etiam ab invito tolerandum, & pro legato habendum eſſe. Hæc pro tam certis habet, ut *ignorantiſſimos eſſe* dicat, qui negent: & tamen tam falſa ſunt, & ab omnium ſenſu aliena, ut nihil magis; ſed oportuit paginam implere, & quod veritati defuit, compenſare convitijs honeſto calamo indignis. Veritas ſic habet. Legatus eſt Perſona publica, quæ à Principe ad Principem mittitur, pacis aut alterius negotij causâ. Legatus igitur non unius tantùm Principis mittentis, ſed etiam ejus, ad quem mittitur, aſſenſu & voluntate conſtituitur. *Duo*, inquit Grotius, (a) *requiruntur, ut quis Legatus conſtituatur, auctoritas videlicet mittentis, & Principis, ad quem mittitur.* Legatorum quippe immunitas & officium ex tacita partium conventione proficiſcitur, ut idem Grotius notat; hæc verò eſt

D reciproca

(a) Grotius de J. pacis & belli l. 2. c. 18. n. 5.

reciproca, & utriúſque conſenſum requirit; nec immeritò, cùm utriúſque Principis interſit, quis Legatus eat. Idque multò maximè locum habet in ijs Legatis, qui hodiernâ tempeſtate diù aut etiam perpetuò in aulis morantur; in his enim ceſſat ratio juris gentium, hoc eſt, neceſſitas. Audi eumdem Grotium: (a) *Optimo*, inquit, *jure reijci poſſunt, quæ hodie ſunt Legationes aſſiduæ, quibus quàm non ſit opus, docet mos antiquorum, quibus illæ ignoratæ.* Idipſum Wicquefortius (b) teſtatur: *Certum eſt*, inquit, *legationes ordinarias nec juris gentium, nec ducentis retrò annis notas fuiſſe; ſuntq; quàmplures Nationes, apud quas nullus earum uſus, ſola Europa eas admittit, ſiq; aliquis Principum eas reſpuerit, dici quidem poterit aliquid contra morem feciſſe, nihil contra jus Gentium.* Hæc ita vera ſunt, ut ſive antiquam ſive recentem hiſtoriam evolvas, infinita reperias Legatorum exempla, qui aut non recepti, aut

(a) Grot. cit. (b) Wicquefort en l'Ambaſſadeur l. 1. pag. 11.

aut remiſſi ſunt; nec tamen creditum eſt, jura Gentium violari. Sic Romani Ætolis denuntiârunt: (a) *Ne Legatos mitterent, alioquin pro hoſtibus fore.* Itémque Vejentibus: *Ni faceſſerent urbe, pœnas daturos.* Lacedæmoniorum Legatus à Pericle dimiſſus eſt: (b) *Quòd ab hoſte armato veniſſet.* Quantò magis dimiſiſſet, ſi Legatus ipſe armatus veniret? ſic Senatus Romanus negavit ſe poſſe Carthaginenſium (c) Legatos admittere, quorum exercitus eſſet in Italia. Sic Legatis Jugurthæ à Romanis edictum (d) intra decem dies Italiâ excederent, niſi Regem & Regnum deditum veniſſent. Et quid plura? numquid in ſacris litteris habemus Rabſacem Regis Aſſyrij Legatum jure meritò ab Ezechia Rege receptum non eſſe, quòd timeretur populum perverſurus? Si recentia percurras, non minus exemplorum eſt, præſertim in Gallia, ubi planè nihil

(a) Liv. l. 27. l. 10. l. 4. (b) Thucid. l. 11. (c) Liv. l. 41. (d) Saluſtius in Jugurtha.

frequentiùs, quàm ut ex cauſis Regi notis, nec aliorum judicio aut examini ſubjectis Legati aut non admittantur, aut exire Galliâ jubeantur: éſtque recentiſſimum Tigurinæ & Bernenſis Reipublicæ Legatorum, qui nec in Regis conſpectum, nec ad tractanda cum Miniſtris Regijs negotia admiſſi ſunt, idque non alia ex cauſa, quàm quòd de ritibus, formáque illos excipiendi conveniri non potuit. Quantò ergo majori, juſtioríque ex cauſa Lavardinus excludi potuit, qui contra aliorum Regum exempla Aſylum non tantùm peteret, verùm etiam armis occuparet? Nuper quóque Moſcoviticis Legatis indictum, ut niſi pellium mercatu abſtinerent, Galliâ exirent. Paulus IV. Figueroam Philippi II. Legatum, & Medíolanenſi Præfecturâ defunctum, cùm ferè Romam intraret, urbe excluſit, (a) negavítque pro Legato agnitum iri, quòd Pontificis curſorem litteris, quas

(a) Anno 1558.

quas ferebat, ſpoliâſſet, incurriſſétque cenſuras: nec Philippus ſuccenſuit, ſubſtituítque Vargam Venetijs priùs Legatum. Sive ergo Legationis naturam, ſive exempla Principum inſpicias, etiam quibus maxima juris Gentium reverentia (quales Romani) concedi omninò debet, Legatum dici non poſſe, qui à Principe admiſſus non eſt; poſſe verò non admitti ex plurimis cauſis, præſertim ex illa, ſi veniat aliena invaſurus, ùt nuper Lavardinus; tunc enim non Legati ſed hoſtis vices agit, ceſſátque finis Legationis. Hæc tam clara ſunt, ut negari à nemine poſſint, nec tamen ſperare nobis victoriam licet, quando à Gallis non ratione, ſed potentiâ certatur. *At*, inquit Anonymus, *ſupplicari Principi debet, ut Legatum amoveat; colendus verò eſt, quandiù moratur.* Nimis ignarus eſt rerum, qui hæc dicit: quoties enim per Vareſium, per Laurum, per Ranuccium Cardinalem Pontifex rogavit, urſitque, ne Lavar-

 dinus

dinus mitteretur? & tamen miſſus eſt; nec miſſus tantùm, ſed etiam armatis obſeptus, adeò ut dubitari poſſet, Gotthus, an Gallus eſſet, qui ſic Romam intravit. Quid ſuperfuit Pontifici? quî modeſtiùs tueri ſe poterat, quàm ut urbe quidem admitteret, etſi armatum, minacémque, non tamen ut Legatum haberet? nam nec Legatus erat, quippe invito Pontifice. *At nulla Lavardini culpa, cùm non poſſet juribus cedere à Rege prætenſis, cur ergo punitus, ſi innocens?* Nulla eſt pœna, ſi alicui non tribuas, quod non debetur: Lavardinus ut Legatus à Pontifice habitus non eſt, quia Legatus non fuit; quis pœnam dicat, ſi pro ſenatore aut Epiſcopo non habebatur, qui nec Epiſcopus, nec ſenator eſt? nam quòd poſteà Cenſuras inciderit, non hæc culpa Pontificis, ſed Lavardini fuit. Pontifex enim cenſuras univerſim tulerat in eos, qui Aſylum uſurparent, nullo Hiſpani, Angli, Germani, Galli, aliarúmque nationum, diſcri-

diſcrimine: quòd ergo Lavardinus ſe illis, & ſolus induerit, non Pontifici imputare poteſt, quippe nolenti, invitóque, ſed ſibi, qui ſpontè incurrit: nam ſi quis gladio ſe perimat, quem accuſabis? fabrum? qui gladios fecit, palámque expoſuit? an eum, qui in ferrum incubuit? Nec intereſt, Lavardinum ex Regis imperio Aſylum occupâſſe; nam, ut taceam, multa à Lavardino peracta eſſe præter Regis voluntatem; cui nota non eſt Apoſtoli ſententia in omni foro humano Divinóque recepta; videlicet: (a) *Dignos eſſe morte non ſolùm, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus?* Si ergo eadem culpa eſt facientis & conſentientis, quantò magis imperantis & exequentis? Quinquagenarij, qui ad capiendum Eliam miſſi ſunt, ſe quóque Imperio Regis Ochoziæ (cujus Legati erant) tuebantur: (b) *Homo Dei, Rex præcepit, ut deſcendas.* Et tamen igne puniti ſunt Deo excuſa-

(a) Ad Rom. 1. v. 32. (b) 4. Reg. 1.

tionem reſpuente. Heliodorus quoque Antiochi Legatus cùm Templum ſpoliare aggrederetur Summo Pontifice Onia renitente; Principis mandatum prætexebat: (a) *At ille pro his, quæ in mandatis habebat à Rege, dicebat, Regi ea eſſe deferenda.* Num ideò calcibus & flagellis punitus non eſt, moriturus, niſi Onias ſervâſſet? Nihil ergo juvat Lavardinum Regis voluntas, quando non imperium Principis, ſed cauſa innocentem facit. Quæro ſi Pontificis, aut alterius Principis Legatus invito Rege, armatúſque Pariſios intraret, illícque ſimile aliquid moliretur ijs, quæ Lavardinus Romæ, quanto eum tempore Rex pateretur, quantúmque deferret Ptincipis ſui imperium alleganti? mirari ergo Lavardinus non debet, ſi exceptio Romæ non valet, quæ Pariſijs nunquam valuit, valebítque. Hæc tam aperta ſunt, ac omnibus nota, ut negari non poſſint; & qui negant, multò pejorem

(a) 2. Mach. c. 13.

pejorem faciant Regis cauſam tam pudendis auxilijs.

Quod verò dicitur: *Pontificis Romani in Chriſtianos poteſtatem precariam eſſe, & ex Principum arbitrio, qui ſe ſponte ſubmittunt, pendere, tantóque magis Pontifici cavendum, ne iſtos offendat.* Reſpondeo hoc argumento omnium Principum poteſtatem, non ſolius Pontificis peti, quis enim imperabit, ſi nolint ſubditi obedire? evolvantur omnium Gentium Hiſtoriæ, & continuò patebit, multò ſæpiùs contra Principes ſæculares rebellatum eſſe, quàm contra Pontifices; imò ſtetiſſe Cathedram Petri, quamvis millies concuſſam tot cadentibus Regnis: ipſa Romana Monarchia tot exercitibus, tot imperijs, tot opibus potens tandem defloruit durante Eccleſiâ; intérque ipſos Romanos Imperatores, quis non ex militum favore, ſtudióque pependit? Taceo Gallici, aliorúmque Regnorum ſcenas & vices: fruſtrà ergo Pontifici objicitur, quod multò

magis omnium Regnantium eſt fatum; illud diſcrimen eſt, quòd ſubditi, ne à ſæcularibus Dominis deficiant, temporalium pœnarum metu coërcentur; hic ſi abſit, majorque ſit ſubditorum, quàm Principis potentia, nihil ampliùs moratur, ut jugum excutiant. Secùs eſt in imperio Religionis; hîc enim, ut Pontifici Romano ſubdar, non temporales pœnæ, ſed æternæ faciunt, nec iſtis evadendis ulla par potentia. Unde fit, ut paulò antè dicebam, multò ſæpiùs à Principibus, quàm à Pontifice ſubditos defeciſſe, nullum ergo minùs precarium imperium eſt, quàm Religionis. Quòd ſi nemo Principi perſuaſerit, ut ſubditis omnia concedat metu ſeditionis, quantò minùs Pontifici? præſertim quòd Eccleſia ſicut non humanis conſilijs & prudentiâ crevit, ita nec humanis conſilijs regenda eſt, quoties illa Divinis adverſantur; quid verò magis adverſatur, quàm ut metu omnia Principibus cedas, nullâ honeſti

ſti ratione? non placent Deo, & ideò nec ſuccedunt turpia conſilia. Eſt inſigne in rem noſtram Alexandri III. Reſponſum, cùm enim metu ſchiſmatis, & ferè paribus minis ad indigna urgeretur, quibus nunc Galli, Legatis Friderici Imperatoris ita reſpondit: (a) *Nos recognoſcimus Dominum Imperatorem Advocatum & ſpecialem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Defenſorem. Unde ipſum (ſi per eum non ſteterit) præ cæteris Principibus Orbis intendimus honorare, in quibus Regis Regum honor nullum capiat detrimentum. Ubi verò quidquam occurrit, quod abſq; ſummi Regis offenſa effectum habere nequeat; ſi honorandus terræ Imperator videtur, ille potiùs à nobis timeatur, & illius honor imprimis conſervetur, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, & qui animam & corpus perdere, atque in æternam ignis gehennam mittere poteſt, ergo cùm pro Eccleſiæ libertate tuenda Patres noſtri proprium ſanguinem fuderint, & nos ad eorum exempla, exigente neceſſitatis articulo, extrema audemus*

(a) Radevicus l. 2. c. 54. & 55. Anno 1159.

mus pericula ſuſtinere. Fruſtrà ergo Galli metum offendendi Regis Innocentio objiciunt; quando in cauſa Dei nihil æquè metuendum eſt, quàm metuiſſe.

VIII. Tertiò cauſatur Anonymus: (a) *Romam eſſe totius Orbis Chriſtiani Patriam communem; ſicq; oportere, ut illic omnium Principum Catholicorum Legati conveniant. Æquum non eſſe, ut Legatis Gallici Regis Aſyli prærogativam invideant Itali, quando ipſi majorem partem occupent ſacri Senatûs; cùm tamen & mos Eccleſiæ, & ratio velit, ut abſque Perſonarum aut nationum diſcrimine purpura digniſſimis obveniat, quæ nunc alijs excluſis ſolos fere Italos veſtiat.*

℟. Si Roma omnium nationum communis eſt Patria, quid queritur Lavardinus, ſi eodem jure, quo omnium aliarum nationum Legati, habitus eſt? nec enim alij Principum Legati admiſſi ſunt, quàm qui Aſylo ceſsêre: vivat ergo Lavardinus in communi Patria communi jure; quod ſi nolit, non illum Innocentius, ſed ipſe ſe Româ excluſit.

Alioquin

(a) Fol. 2.

Alioquin quid ſcelerum civibus non liceat, ſi qualeſcunque ſint, & quacunque ratione vivant, tolerari in Patria debeant? & planè cùm nuper Lavardinus Romam ingreſſus eſt: non Civis faciem, ſed hoſtis oſtendit, nec tam Patriam intrâſſe, quàm in aciem irrupiſſe viſus eſt. Quod de Cardinalibus dicitur, nihil pertinet ad cauſam Lavardini. Oportere Cardinales aliquos deligi ex omni natione, verum eſt, idque inſigniter in ultima Cardinalium promotione ab Innocentio obſervatum, in qua non Galliæ, non Hiſpaniæ, non Germaniæ, non Italiæ purpura defuit: cæterùm debere ex quavis natione pares numero eſſe, tam abſurdum eſt, ut nihil magis; quid enim in eligendo Pontifice magis ſchiſma pareret, quàm ſi ſingulis nationum par numerus votorum eſſet? ſingulæ videlicet Pontificem ex ſuis vellent, Galli Gallum, Hiſpani Hiſpanum, nullo certandi fine. Idque palàm apparuit in

Digitized by Google

magno ſchiſmate Occidentis, cui initium dedit electio Urbani VI. cùm enim Itali Italum vellent, Galli Gallum, & inter Gallos Lemovicenſes Lemovicenſem; tandem ingens illud ſchiſma conflatum, quo nullum nec longius, nec funeſtius Eccleſiæ. Idem ergo accideret, ſi quælibet natio pluribus Purpuratis abundaret, & nulla aliam numero vinceret. Sed cur Italica vincit? inanis quæſtio. Idem enim de Gallica, Germanica, Hiſpanica aliiſque quæri poſſet, ſi quæ ſuperaret. Deinde cùm Chriſtus Cathedram in Italia fixerit, credi debet hanc nationem, ſive Pontificem ſpectes, ſive Cardinales (ex quibus Pontifex eligitur) prætuliſſe. Id quoque oſtendit uſus Eccleſiæ etiam Primitivæ, in qua plerique ex Italia Pontifices. Sed ut dixi, hæc extra chorum; nec ego memorâſſem, niſi cogerent Galli intempeſtivâ quæſtione.

IX. Quartò

IX. Quartò opponit: (a) *Merita Galliæ Regum in Eccleſiam Romanam; quæ majorem Principatûs ſui temporalis partem à Regibus Galliæ acceperit: nec ſecurior portus Naviculæ Petri, quoties tempeſtate jactaretur, quàm in Galliæ ſinu: non ergo Lavardinus Regis Legatus tam malè accipi debuit, hoc præſertim tempore, quo Gallia ab Hæreſibus purgata, Romanæ Eccleſiæ reſtituta eſt.*

℟. Nulla Gallis frequentior cantilena, quàm ut beneficia ſua repetant, moneántque Pontificem gratitudinis, perinde ac ſi cum immemore Beneficiorum, aut non curante loquerentur. Maxima eſſe, quæ Galliæ Reges in Pontifices contulerunt, nemo negaverit, nec alius magis agnovit, palámque profeſſus eſt, ut ipſe Pontifex Romanus. Sed hæc ipſa præteritorum memoria ſpem omnibus facit, hodiernum Galliæ Regem nihil Majoribus ſuis ceſſurum, nec illis ut victorijs, ita Religione imparem fore: nec enim ideò illi minores, quia

(a) Fol. 2.

quia reverentiâ & obſequio in Vicarium Chriſti certârunt, imò illi magis floruêre, qui magis Romam venerati ſunt, ut exempla Clodovæi, Pipini, Caroli Magni, ac Ludovici oſtendunt, DEO velut pro Vicario ſuo debitore, ac ingentibus præmijs, quidquid illi præſtaretur, compenſante. Ergo ut dixi, quæ à Galliæ Regibus olim in Eccleſiam Romanam collata ſunt, exempla eſſe debent moderno Regi, quæ imitetur, non quæ ſubvertat: alioquin quàm non indigna tantùm, verùm etiam quàm inepta erit hæc conſequentia: *Reges Galliæ olim Romam Pontificibus donârunt, ergo hodie eam Pontifici rapere poſſunt; olim Pontifices protexêre, ergo hodie perſequi debent.* Et tamen, quis crederet? ſic Galli hodie argumentantur. Cæterùm ipſi quóque Pontifices nec tam ingrati, aut immeriti ſunt, quàm Galli ſupponunt. Patiantur ea tantùm leviter tangi, quæ in Galliam collata ſunt, videbúntque utrínque beneficijs cer-

tatum

tatum eſſe, nec adhuc conſtare, Roma an Gallia ſuperaverit.

Et primò certum eſt, veram Catholicámque Religionem Galliæ illatam eſſe operâ ac curâ primi poſt Chriſtum Romani Pontificis, Petri videlicet, ut enim taceam, quæ de ſanctis Martiali & Dionyſio Areopagita Galli ipſi, qui etiam maximè Critici, fatentur: Zoſimus ad Galliæ Epiſcopos ita ſcribit: (a) *Ad urbem Arelatenſem primùm ex hac ſede Trophimum ſummus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt.* Idem habet Ado (b) Viennenſis. Ipſi Epiſcopi Provinciæ Viennenſis epiſtolâ ad Leonem I. *Omnibus Gallicanis Eccleſijs notum eſt, quòd prima inter Gallias Arelatenſis Civitas miſſum à Beatiſſimo Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, exinde alijs paulatim Regionibus Galliarum*

(a) Zoſimus ep. 5. ad Galliæ Epiſc. (b) Ado Viennenſ. in Mart. 4. Cal. Januar. V. Quenellium tom. 2. Opera S. Leon. & P. Alex. natal. ad ſæcul. 1. Anno 450.

Digitized by Google

liarum bonum fidei & Religionis infuſum. In Concilio quóq; Pariſienſi ſub Ludovico Pio Epiſcopi Galliæ ad Eugeniū II. Pont. Max. ita ſcribunt: (a) *Nec vobis tædium fiat, ſi ſe paulò longius ſermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus noſtris uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, B. Dionyſio ſc: qui à S. Clemente in Gallias cum duodenario noſtro primus Prædicator directus, &c.* Gallia ergo Religionem ſuam Romæ debet, & quod poſſit beneficium cum iſto comparari? conſiderent, quantum Gallia fidelis ab infideli diſtet, nec ſolùm Religione, ſed etiam potentiâ, fælicitate, virtute bellicâ, artibus, ſcientiiſque litterarum præcellat, & fonti benedicant, à quo hæc omnia fluxêre. *Gregorius II.* Carolo Martello Conſulatum Romanum defert, ut habetur in Hiſtoria Gregorij (b) Turonenſis. *Stephanus Papa* Pipino Patritiatum Romanum, primam videlicet poſt Imperatoriam dignita-

(a) Anno 824. V. Baron. tom. 9. (b) Append. ad Hiſtor. Gregor. Turon. c. 110.

Digitized by Google

dignitatem, & quàm Carolus non priùs depoſuit, quàm imperio poti-retur, ut etiam Marca (a) fatetur.

Zacharias Pontifex eundem Pipinum Regno Francico præponi curat exauctoratâ Merovingicâ ſtirpe, quo nullum beneficium Gallia majus accepit; ab hoc enim prima exordia proceſſerunt ingentis illius potentiæ, & alioquin peſſumibat civilibus bellis, ignaviâque Regum conſumpta.

Idem Zacharias Pipino facultatem tribuit nominandi Epiſcopos ſui Regni, ut ſcribit Lupus (b) Ferrarienſis.

Leo III. Româ in Gallias & in caſtra proficiſcitur, ut Ludovicum, fratréſque in acie congreſſuros componat.

Idem Gregorius cùm in pleno Gallorum Antiſtitum Concilio Ludovico imperium ademptum eſſet, Decretum reſcindit, & Ludovico imperium confirmat, teſte Paulo Æmilio. *Joannes VIII.* Ludovicum II. auctoritate ſuâ

contra

(a) Marca l. 1. de concord. c. 12. n. 4. (b) Lupus Ferrar. epiſt. 71.

contra Aldagiſum tuetur, eúmque à perſequendo Imperatore (quem carceri incluſerat) abſterret, in fugam vertit, ac tandem pacem inter utrúmque conciliat. *Stephanus IX.* Francorum Proceribus contra Ludovicum Regem defectionem molientibus ſub pœna excommunicationis præcipit, ut novis abſiſtant, illíque continuò pareant, teſte Flodoardo. *Urbanus IV.* Regnum Siciliæ, quod ad ſacram ſedem devolutum fuerat, Carolo Andegavenſi fratri S. Ludovici defert, ac Regem Angliæ efficaciſſimè urget, ut adornatâ claſſe liberando Galliæ Regi à Barbaris capto ſe accingat. *Clemens IV.* Carolum Andegavenſem in poſſeſſionem utriúſq; Siciliæ (quæ Regnum Neapolitanum complectebatur) inducit, quâ Galli ſeptendecim circiter annis gaviſi ſunt, nec Siciliæ Inſulis excidiſſent, niſi Caroli ſocordiâ.

Gregorius X. Philippo Regi ſexennales Cleri Gallicani decimas concedit bello contra Barbaros proſequendo.

Martinus

Martinus IV. Panormitanos ab cæſos immani conjuratione Gallos anathemate percellit, mittítque Cardinalem Sabinenſem ad revocandam in Galli obſequium Siciliam. Idem Martinus Principatum Cataloniæ, Arragoniæ, & Valentiæ Regna Petro Arragoniæ Regi adempta, in unum è Philippi III. Galliæ Regis filijs, Carolum videlicet Valeſium transfert, eíque triennales Cleri decimas concedit, habitóque celeberrimo omnium Ordinum Conventu Pariſijs, è Pontificis manu Regna confeſtmi acceptata. *Bonifacius VIII.* Carolum Valeſium Philippi Pulchri fratrem Anagniæ cum Conjuge magno apparatu excipit, univerſæ Ditionis Eccleſiaſticæ Præfectum, Imperiíque (quod vacabat) Vicarium conſtituit, ac utrique Imperio Orientis & Occidentis præficiendum deſtinat, de quo vide Spondanum *ad annum 1301. n. 2.*

Idem Bonifacius Adolphum Imperatorem Principibus Germaniæ in eum

eum concitatis moratur, ne cum Angliæ Rege Gallorum hoſte arma in Belgio conjungat, quod planè Francico imperio fatale futurum erat.

S. Ludovicum Catalogo Divorum adſcribit. Scio equidem quæ poſteà inter Bonifacium & Philippũ Regem contigerant, oblivione magis quàm memoriâ digna. Sed nec illud me latet, tres illius filios paulò poſt im̄aturo funere ſublatos: *In pœnam*, (uti ſcribit (a) S. Antoninus) *injuriæ & ſacrilegij, quod eorum Pater in Bonifacium commiſerat.*

Benedictus XI. Regnum Galliæ interdicto liberat, Regem Philippum ſupplicantem abſolvit, omnia privilegia confirmat, Academias Galliæ juribus ſuis reſtituit, reſervationes vacantium Eccleſiarum revocat, contributiones Decimarum, Bonorum Eccleſiaſticorum, ubi Laicorum facultates non ſufficiunt, Regi Philippo relinquit, & in ejus gratiam Columnenſes veniâ donat, totámque familiam

(a) Antonin. 3. p. tit. 21. c. 3.

Digitized by Google

familiam in integrum reſtituit, Petro Cardinali excepto, cui Clemens V. Purpuram à Bonifacio VIII. ademptam reſtituit, de quibus vide Spondanum ad annum 1303. n. 20. *Clemens V.* inquit Spondanus, *in gratiam Philippi Regis Pontificiam ſedem in Gallias transfert perculſo ad facinus Chriſtiano Orbe, manſitq; illic amplius ſeptuaginta annos.* Nolo hîc commemorare ſeptuaginta annorum decurſu, quibus Pontifices in Gallia hæſerunt, quæ & quanta in Galliæ Reges contulerint. *Pius IV.* in celebri de præcedentia certamine pro Gallia pronuntiat, nullo metu Potentiæ Hiſpanicæ (quæ regnante Philippo II. multò Gallicam ſuperabat) nullâque minarum curâ, quas Philippus ingeſſerat, juſſo Oratore ſuo Româ abſcedere. *Pius V.* Carolo IX. Galliæ Regi contra Hugonottos rebelles quatuor mille & quadringentos pedites, ac equites nongentos throno ſimul & religioni ſervandæ in ſubſidium mittit. *Clemens VIII.* obnitente

tente licèt Hiſpanicâ factione ac infinita opponente (minabantur enim pro uno Galliæ Regno alia multa à Pontifice defectura) Henricum IV. ab Hæreſi abſolvit, quo facto cauſæ omnium Civilium bellorum in Gallia conciderunt, firmatúmque Regnum familiæ Borbonicæ hodie regnanti: dici non poteſt, quanta morando, terrendóque Pontifici producta fuerint; ſed vicit amor Galliæ feliciſſimo eventu. Idem Clemens ſuperatis im̃enſis difficultatibus Matrimonium Henrici IV. cum Margaretha Valleſia (quam ante annos ſeptem & viginti ex Pontificia diſpenſatione duxerat) nullum eſſe declaravit, permiſitque nuptias cum Maria Medicea, ex qua Ludovicum XIII. & ex hoc Ludovicum XIV. hodie regnantem habemus; alioquin exaruerat familia Regia ſterili Margarithæ Conjugio, ac Gallica corona in Condeum Principem conciderat adoleſcentulum, ac in hæreticorum ſinu educatum

educatum, & quem tamen Clemens Religioni Catholicæ reſtituit; nam inter conditiones datæ à Clemente abſolutionis hæc inter præcipuas fuit, ut videlicet Henricus Condeum Principem Calviniſtarum manibus eriperet, eúmque Catholicis doctrinis imbuendum curaret. Clementi ergo Pontifici Gallia & Regnum, & Reges, & Religionem debet. Taceo alia quàm plurima, ac præſertim innumeras Romanorum Pontificum Legationes pro pace Gallico imperio reddenda, præcipuè cùm Angli perpetui ac fatales hoſtes Galliæ imminerent. Taceo infinitam privilegiorum molem, quibus nulla æquè natio, ut Gallicana à Summis Pontificibus exornata eſt. Nam ut obſervat Marca Archiepiſcopus in libello Barcinonæ edito anno 1646. *Quidquid contra canonum decretalium mentem in Gallia circa res Eccleſiaſticas agitur, id fit ex privilegijs Apoſtolicis, non autem mero jure Regio.* Id ſolùm obſervo, in Hiſtoria Fran-

cica ter reperiri, Regnum Galliæ auctoritate, ac operâ ſummorum Pontificnm ſervatum eſſe. *Primò* quando ignaviâ Merovingorum, bellíſque Civilibus ferè deletum, auctoritate Stephani & Zachariæ Pontificum in Carolinam ſtirpem translatum eſt: *Hildericus Rex*, in quit Eginhardus Carolo M. à ſecretis, *juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus, ac detonſus, atque in Monaſterium truſus eſt:* Et infrà: *Pipinus autem per auctoritatem Summi Pontificis ex Præfecto Palatij Rex conſtitutus. Secundò*, quando teſte Ludovico Pio Caroli M. filio, *Francorum Proceres auctoritate B. Petri ſibi à Domino JESU Chriſto traditâ obligavit, & obteſtatus eſt, ut nunquam de altera ſtirpe Regem ſupra ſe præſumant aliquo modo conſtituere, quos & Divina Providentia ad Apoſtolicam Sedem tuendam eligere dignata eſt.* Hæc ſunt verba ipſius Ludovici in epiſtola ad Hilduinum: quibus adjungit Gaguinus: (a) *Stephanus autem Pipino benedixit, & ejus poſteritati, átque qui temeritate*

(a) Gaguin. Hiſtor. Franc. l. 3. f. 45.

ritate aliquâ adversùs Francos bella moverent, Communione Chriſtianâ interdixit. *Tertiò,* quando Clemens VIII. Galliam bellis Civilibus (quæ hæreſis & ambitio excitaverant, externis armis Germanorum, Anglorum, Hiſpanorum, Italorúmque Regno illatis) propè confectam, quæque triginta & ſex annorum decurſu, ab obitu videlicet Henrici II. uſque ad abſolutum Henricum IV. producta, Galliæ extrema minabantur, nec finem ſpondebant; tandem paci, priſtinæque dignitati reſtituit, Henrico Cenſuris abſoluto, ac ſterili Matrimonio poſt viginti & ſeptem annos liberato. Cùm ergo Gallia & Religionem, & toties Regnum Vaticano debeat, perſuaderi ſe utique Lavardinus patietur, Beneficia, quæ Romanis Pontificibus ex Gallia proveniſſe dicit, non fuiſſe in immeritos collocata, multò minùs in ingratos; neque ego hoc dicerem, niſi neceſſitas cogeret objectam ingratitudinem diluendi.

Sed ſint beneficia à Gallis accepta adhuc inſoluta, ſiut Pontifices immeriti (quanquam quid Pontifices dico, cùm non iſtis ſed Chriſto ſint data, & ab hoc immenſis præmijs & victorijs compenſata?) num ideò debuit Innocentius concedere, quæ non licuit Ludovico poſtulare? petitur patrimonium Chriſti, petitur hæreditas Petri, petitur in urbe ſancta ingens ſceleribus omnibus ſpatium, in quo velut in libero, exemptóque imperio & impunita, & ſecura ſint, imò & florentia, magíſque patrocinio Chriſtianiſſimi Regis, quàm in ipſis Templis Majeſtate præſentis Dei defenſa, perinde ac ſi Romæ Eccleſiæ deſint recipiendis, & ad pœnitentiam revocandis reis. Petitur denique, quod omnibus Regibus ac Principibus negatum, non poteſt jam Galliæ concedi, niſi omnibus illis acerbè offenſis, ac dimiſſa repetituris, infinito Apoſtolicæ Sedis dedecore, paríque damno, quippe totâ ferè Româ in Aſylum

imò in Babylonem conversâ. Infelicem Innocentium, qui aut cum Chriſto, aut cum Gallo pacem habere non poteſt: nam aut hunc offendit, ſi neget; aut illum, ſi concedat: nemini plura & majora, quàm ipſi Deo debemus, & tamen is non permittit *fieri mala, ut eveniant bona*; quantò ergo minus poteſt Innocentius malum facere, ut bona remuneretur à Gallis accepta? quantum verò malum ſit grande illud, vaſtúmque Aſylum, quod non Regis ipſius commodo, ſed ſceleratis, parricidis, Latronibus, & adulteris petitur, non eſt Regis judicare ſed Pontificis; nec enim de Pariſienſi, ſed de Romana urbe agitur Pontifici ſubdita. Quòd ſi nunquam Rex pateretur litem ſibi moveri de ijs, quæ ipſe Pariſijs judicat, quæ ratio permittit, ut litem Pontifici moveat de ijs, quæ Romæ diſpoſuit? quamquam ne opus quidem eſt in hac cauſa Pontificis judicio aliquid deferre, quando totius Europæ judicium habemus,

bemus; nam præter Gallorum aliquos metu aut gratiâ aulæ obſtrictos nemo mortalium eſt, qui non credat æquiſſimam eſſe Pontificis cauſam; & ideò Reges ac Principes omnes promptiſſimè Aſylo ceſsêre; nec verò ceſſiſſent, niſi crederent juſta poſtulari, & tamen eodem jure, ijſdémque rationibus, quibus Galliæ Rex, retinere illud poterant. Si Innocentius ſolum Galliæ Legatum Aſyli jure privâſſet, poterat id injuriæ, odióque nationis adſcribi, ac meritò iram Regiam provocare; nunc verò omnibus Regibus, omnibus Principibus eadem Lex dicta, omnéſque juſtam cenſuêre: quæ rogo ratio eſt, ut ſolis Gallis diſpliceat, quod omnibus placuit? & quod alijs omnibus neceſſitas viſa eſt, illi ſoli injuriam credant? ac præſertim à Pontifice tam ſancto, tam humanis affectibus vacuo, tam ſtudioſo Gallicæ Nationis, & in quo ne Calviniſtæ quidem, jurati alioquin Pontifici hoſtes aliquid invenêre

Digitized by Google

venêre non amore, ac veneratione dignum. Sed hoc eſt unicum Innocentij delictum, quod omnium Sanctorum Antiſtitum fuit, non poſſe videlicèt adulari cupiditatibus Regnantium; & tamen non is Medicus ægrotum diligit, qui plagam celat, aut goſſipio involvit, ne appareat; ſed qui ferro etiam ignique medetur, curâ dolorem compenſante. Quamquam nec ferrum Innocentius, nec ignem admovit, ſed quidquid reverentiæ & amoris in Principem ac filium licuit; monuit, rogavit, ſcripſit, inſtititque: nunc per Vareſium, nunc per Abbatem Laurum, nunc per Ranuccium Legatum ſuum, ac poſteà Cardinalem preces porrectæ, útque hæ magis proficerent, præmiſſa omnium Regum, Principúmque exempla Aſylo cedentium; quid potuit plus facere Innocentius? ut ſileret? ut Galliæ poſtulata admitteret? ut tam neceſſarium ſanctúmq; propoſitum metu deſereret? hoc non potuit.

Digitized by Google

Pavere ac fugere non eſt Paſtoris, ſed Mercenarij, quis ergo aliquid audeat pro veritate, ſi Pontifices timeant? & quid faciunt Romæ tot Martyrum cadavera, tot trophæa & veſtigia ſanguine certantium tincta, ſi ne quidem liceat ſummo Sacerdotum liberam vocem pro juſtitia proferre? nunquam metus Martyrem fecit. Et quid tandem non Principes petant, non Pontifices tribuant, ſi toties cedant, quoties rogantur? non eſt hoc eſſe Petram, ſed paleam: neque hoc voluit Chriſtus, cùm juſſit Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. Si Innocentius Pontifex ea tantùm ſpectaret, quæ Galliæ Regem circumſtant, foríſque exornant, Potentiam videlicet, opes, exercitus, claſſes, & quidquid deníque ſpeciem illam Majeſtatis effingit, quam homines adorant; facilè perſuaderi debuit, ut & hoc concederet, & quidquid aliàs Regi placeret: quid enim tandem intererat Pontificis jam provectâ ætate, & in occaſum

pronâ,

pronâ, ut pacem pro bello non mallet? ſed æſtimanti totam illam magnificentiam, quæ foris ſplendet, mortalem & caducam eſſe, nec aliud poſt breviſſimas annorum periodos (quamvis ego longiſſimas cupiam) de Magno illo Ludovico ſuperfuturum, quàm frigidum cinerem, animámque immortalem, & hanc non regio apparatu, non exercitibus, ſed bonis tantùm, malíſve operibus ſeptam, tantóque periculò viciniorem, quantò gravioribus rationibus obnoxiam: hæc, inquam, cogitanti Innocentio meritò perſuaderi non potuit, ut ea Regi permitteret, quæ utriúſque conſcientiam onerarent; nec utique dolere Regi debuit, ſi inter tam multos, qui illius animam in mortis æternæ diſcrimen adducunt, unus ſaltem Romæ eſſet, qui illam totis viribus curaret, retinerétque præcipitio vicinam; enimverò cùm mundanarum rerum ſtrepitus ceſſaverint, qui modo Regium animum

occupant, cúmque in Comitijs totius generis humani Divino Tribunali aſſiſtemus, ceſſabúntque dulces illæ, ſed fallaces adulantium cantilenæ, tunc, inquam, agnoſcet Ludovicus Rex, fideliora fuerint Innocentij conſilia, nunc quidem ingrata ſuadentis, ſed tamen ſalubria ac neceſſaria; an illorum qui prætextu proferendæ Regiæ auctoritatis ſibi gratiam & præmia quærunt, Regi verò ingens animæ periculum, ſerámque factorum pœnitentiam.

At non debuit tanti Regis Legatus acceſſu ad Pontificem prohiberi, quando Rex proferendæ Religioni Catholicæ tanto conatu ſucceſſúque laborat.

Reſpondeo multò minus debuiſſe Romanum Pontificem, quo tempore tot curis, tot victorijs, tot Legationibus tantáque auri profuſione evertendo Turcico Imperio, ac Religioni Chriſtianæ per totum Orientem amplificandæ laborat, domi foríſque à Gallis turbari. Comparentur, quæ Ludovi-

Digitized by Google

Ludovicus contra hæreticos in Gallia, quæque Innocentius in Auſtria, Hungaria, Græcia, & Peloponneſo fecit, quæque deinceps, niſi Galli prohibeant, in Europa, Aſiáque facturus eſt, videbunt ac fateri cogentur, nihil Innocentium Ludovico ceſſiſſe, & quod iſte contra Calviniſtas edictis, illum conſilijs, armis, auro, precibúſque apud Deum contra Turcas præſtitiſſe, hoc ſolùm diſcrimine, quòd Ludovicus unam, inermémque Provinciam, nec auſam reſiſtere, Innocentius tam multas, armatáſque Religioni ſubjecit: non ergo decuit tam glorioſum Pontificem, támque de Re Chriſtiana præclarè meritum eo ipſo tempore à Chriſtianiſſimo Rege, Filióque Eccleſiæ primogenito, quo evertendæ Ottomannicæ impietati tam anxiè ac feliciter laborabat, tam acerba & hoſtilia pati.

At Legatum non admiſit.

At Vos coegiſtis, ne poſſet admittere. Cur enim Gallicum Legatum

alijs conditionibus , quàm aliorum Principum admitteret ? nemo iſtorum aliter acceptus eſt, quàm ut Aſylo cederet, & tamen nemo iſtorum de injuria conqueritur, imò nec queri poteſt, cùm non de Regum, ſed Latronum beneficio, commodóque agatur. Quî igitur injuria dici poteſt, quam nullus Regum pro injuria, pro dedecore habuit? Date locum juſtitiæ, permittite flagitia puniri, ſubducite ſceleribus patrocinium, eo jure Legati veſtri potiantur, quo omnium Regum Legati; liceat domi ſuæ Pontifici, quod omnibus Regibus, omnibus Principibus licet, & quid dico omnibus Principibus? imò quod omni Prætori, quódque omni Patrifamilias, & ſic tandem Romam intrate. Quòd ſi ne hoc quidem conceditis; non deinceps culpam Pontifici adſcribite, rejecti Legati, ſed vobis tam honeſta recuſantibus. Quæ à Rege in expellendis Hæreticis peracta, magna utique & ingentia ſunt,



ſunt, ac ſpem omnem ſuperantia, ſed quanto pretio compenſata? Revocentur in memoriam infinita mala, quæ Calviniana hæreſis Galliæ invexit, adeò ut propè fuerit Monarchiam in Rempublicam, Reges in Conſules mutari; & fateri cogentur plus Regni interfuiſſe, quàm Religionis, has faces extingui, ne iterùm Galliam incenderent. Taceo infinitos Theſauros ex proſcriptorum bonis, neque hæc memoro, quaſi elevare velim, quæ à Rege præclarè ſunt geſta, ſed ſolùm ut oſtendam, præmio non caruiſſe. Deinde ſi bonum, quod ex purgata Gallia provenit, cum malis comparetur, quæ ex contemptu Pontificis, ejúſque factis, ſcriptíſque laceratâ auctoritate proveniunt, hæc multò majora; nam in totam Eccleſiam redundant, & communi defectioni viam aperiunt, erátque minus malum, hæreſin in una Gallia tolerari, quàm tam pernicioſis exemplis, doctriníſque totam Euro-

pam inficere, ac periculo exponere amittendæ Religionis; hæc nunquam ſtetit dejecto Pontifice; atque ut nulla hæreſis fuit non Romæ inimica, ita niſi hujus ſocietate nunquam floruit vera & Catholica Religio; quæ igitur gratia, ramos coluiſſe percuſsâ radice?

X. *Quintò*: (a) *Ignoratam fuiſſe*, dicit, *Lavardino Pontificis Romani Bullam.*

℟. Ego Marchioni Lavardino tanto videlicet viro, tantíque Regis Miniſtro nihil non credam, ſi ita juſſerit, fidémque exegerit. Cæterùm negari non poteſt, difficile id creditu eſſe, ac perſuaderi hominibus vix poſſe. Quomodo enim latere illum potuit, de quo totus Orbis, ac Gallia imprimis tanto tempore, tantóque ſtrepitu loquebatur? De quo cum Ranuccio Cardinali, Legatóque Pontificis Lavardinus ſermonem habuerat? cui tot Cardinales ſubſcripſerunt? Quam Romæ affixam, & in omnium manibus viderat? De qua

(a) Fol. 3.

loquen-

Digitized by Google

loquentem, ſcribentémque Cardinalem Eſtreum audierat, viderátque; & denique cujus effectum jam ſenſerat, quando ſanctæ Luciæ feſtum differri juſſit, ne ſi templum intraret, continuò ſacra cum dedecore abrumpi videret. Si hæc tam clara, tam nota & ubíque locorum vulgata ignorari poterant, neſcio quid non poſſit.

Sed quoniam Marchioni Lavardino placuit ignorantiam prætexere, credamus ignorâſſe; at non ideò effectum excommunicationis morari potuit. Quis enim neſcit, non tantùm toto humano & Divino jure, ſed etiam toto Orbe & omnibus Principum Tribunalibus neminem excuſari *ignorantiâ juris* clari, vulgatique? Si Pariſijs duello aliquis confligat, allegétque ignorantiam edicti Regij, quo duella prohibentur, num pœnam effugiet? Cùm ergo Bulla Innocentij non in angulis, non in latebris ſcripta, nec domi retenta, ſed totâ urbe pependerit, nec Tabellionis

tantùm

tantùm manu, ſed ipſius Pontificis, ac triginta & ſuprà Cardinalium calamo ſubſcripta, ac ſeptimo jam menſe typis impreſſa, planè aut non potuit ignorari, aut non debuit, præſertim à Regio Miniſtro omnium arcanorum conſcio, quantò magis omnium vulgatorum? Sed ignoraverit Lavardinus, ac etiam veniam ignorantiæ demus; quæro an ſi ergo Bullam compertam haberes, morem illi gereret, aut non gereret? ſi non gereret, fruſtrà ignorantiâ ſe purgat, quando etiam ſciens, voléníque paratus eſt obſequium negare: ſi morem gereret, ergo jam ſaltem obtemperet, quando inficiari non poteſt, ſibi de voluntate edictóque Pontificis conſtare; nihil ergo excuſando, liberandóque Lavardino proficere ignorantia poteſt tot nominibus invalida.

At Bulla Innocentij in Gallijs promulgata non eſt.

℞. Nihil dici poteſt Gallis humanius, venuſtiúſque, etiam cùm lædunt,

dunt, quippe oſculum plagæ præmittunt. Romam Legatus ibit Pontifice invito: urbem armatus invehetur, bellanti ſimilis ac velut cum hoſte congreſſurus: magnam urbis partem armis implebit Dominantis more, & publicum Aſylum contra Principis edictum flagitijs aperiet, non tantùm, ut tuta ſint, verùm etiam, ut inſultent prohibenti: Palatium, totámque viciniam excubijs, vigilijs, circitoribus occupabit, perinde ut fieri ſolet in arce armis expugnata, terráque hoſtili; & hæc omnia Principe coram, nec alijs armis, quàm precibus pugnante: Eccleſias quóque perrumpet, ſacríſque cum faſtu, contemptúque aſſiſtet nullâ Vicarij Chriſti, nullâ Cenſurarum reverentiâ. Hæc omnia faciet, & cùm cauſam rogatus fuerit tanti contemptûs tantæque injuriæ, reſpondebit: *Bullas Innocentij in Gallijs non eſſe promulgatas.* Quid ſi ergo eſſent promulgatæ, num ideò Lavardinus his omnibus abſtineret? Cur ergo pro-

promulgatio prætexitur, cùm nihil eam Galli morentur? finge nullas omninò Bullas eſſe, num ideò Lavardino licebit jus Gentium violare, alienum ſolum hoſtiliter ingredi, armíſque occupare? & denique omnibus parricidis, adulteris, perduellibus, ſceleratíſque non libertatem tantùm, verùm etiam ſtimulos delinquendi addere impunitate propoſitâ? planè nullis Bullis opus eſt, nulláque promulgatione, ut iſta non liceant. Sufficiant edicta naturæ, Legéſque Evangelij, ut Lavardinus intelligat: *Quod ſibi quis non vult fieri, alteri ne faciat. Qui Paſtorem Eccleſiæ audit, Deum audire, qui illum ſpernit, Deum ſpernere; & quæcunque Vicarius Chriſti ligat ſuper terram, eſſe etiam ligata in Cœlis.*

Hæc tam clara ſunt, ut neminem lateant, poſſintque à nullo negari; niſi fortè quis dicat legem Evangelij, legémque naturæ Pariſijs promulgata non eſſe. Deinde quale illud eſt, ut oporteat Bullas, quæ Romæ fieri aliquid

Digitized by Google

aliquid prohibent, etiam Pariſijs promulgari? Quoties Legati Pontificij, aliorúmque Principum juſſi ſunt regno excedere, aut armatis cuſtodiri, aut aurum Galliæ non efferre, aut peregrinas merces damno Regiorum Vectigalium non vænum proponere; num propterea aut Romæ, aut in Hiſpania diploma, quo iſta vetabantur, propoſitum eſt? & cùm nuper Legati Moſcovitici, qui magnam vim pellium Galliæ intulerant, juſſi ſint, aut Mercatu aut Regno abſtinere, num inquam, prius hoc edictum Moſcoviæ pependit? Cur ergo à Romano Pontifice petitur, quod à nullo Principum? niſi fortè quia Chriſti Vicarius eſt, pejori illum conditione damnamus. Cùm ergo Lavardinus Romæ eſſet, cùm Romæ deliquiſſet, debuit quoque ſuffecítque Romæ puniri, & illic pœnas dare, ubi pacem publicam, ubi jus Gentium, ubi Eccleſiam, Principémque offenderat. *Nec obſtat, Legibus loci Legatum non teneri: Quia,* ut

ut Politici ſcribunt, *Principalem repræſentat nemini ſubditum*; id enim verum ſit de legibus pæníſque temporalibus, non verò de pænis ſpiritualibus, in quibus ratio ceſſat, cùm nemo in rebus conſcientiam ſpectantibus negare poſſit, ſe Pontifici ſubjectum eſſe. Nec poterat character, dignitáſque Legati Lavardinum tueri, quem Pontifex nunquam pro Legato habuit, recepítve; cùm enim Legatus ſit à Principe ad Principem, & mutuo pacto mittentis ac recipientis conſtituatur, non potuit, niſi utriuſque Principis conſenſu Legatus dici, ſuntque infinita cum noſtri, tum antiqui temporis exempla. Scio equidem multa eſſe, quæ Galli Bullis Pontificijs eludendis obijciant, ſed nec illud me latet, à Galliæ Regibus regnantis Monarchæ Anteceſſoribus, & à Galliæ Prælatis ſummâ hactenùs veneratione exceptas eſſe.

Carolus Magnus, quo nemo potentiâ, victorijs, fortunâ major in

ſuis

ſuis Capitularibus: (a) *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis eſt Mater dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, & licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur jugum, feramus, & piâ devotione toleremus. Si verò quilibet aliquam perturbationem machinando & noſtro miniſterio inſidiando redarguatur falſam ab Apoſtolicæ Sede detuliſſe epiſtolam, ſalvâ fide & integrâ humilitate penes Epiſcopum ſit poteſtas, utrùm eum in carcerem detrudat, uſquequò per epiſtolam aut per idoneos Legatos Apoſtolicam interpellet ſanctitatem, ut potiſſimùm ſuâ ſanctâ Legatione dignetur decernere, &c.*

Ludovicus Caroli Magni filius jam moriturus ita filios Reges alloquitur: (b) *Jubemus atque præcipimus ſuper omnia, ut definitionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam à proavo noſtro Carolo*

&

(a) Ivo Carnot. in Decr. p. 5. c. 50. & habetur in Concilio Tribur. c. 30. (b) Apud Pithæum & Spondan. ad ann. 838.

& avo noſtro Pipino, & Beatæ memoriæ Genitore noſtro Carolo Imperatore, & à nobis poſteà ſuſcepta eſt, ut etiam cum DEI adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur & juſtitiam ſuam, quantum ad eos pertinet, ac ratio poſtulaverit, habere faciant, &c. Quæ autem major, magiſque neceſſaria Juſtitia, quàm ut Pontifici de rebus ſacris imperanti, ſuámque Juriſdictionem vi occupatam tuenti fideles obtemperent?

Sanctus quóque Ludovicus inter alia monita, quæ Philippo filio moriturus reliquit: *Sis devotus & obediens Matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Summo Pontifici tamquàm Patri ſpirituali.*

Ipſi Galliæ Epiſcopi, quando conſecrantur, hoc ſe juramento obſtringunt: *Decreta, Ordinationes, ſententias & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis humiliter obſervari ...... mandata Apoſtolica humiliter recipiam, & quàm diligentiſſimè obſequar.*

S. Bernardus præclariſſimum Eccleſiæ Gallicanæ lumen aliquorum obje-

Digitized by Google

jectionem præveniens: (a) *Sed dicit quis debitam Pontifici reverentiam exhio & nihil amplius; eſto, fac quod dicis: od ſi exhibeas debitam & plenam, Plenilo ſiquidem poteſtatis ſuper Univerſas Orbis cleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi nata eſt, qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei dinationi reſiſtit.* Hæc quondam Reum Prælatorúmque Galliæ ſententia fuit, poſſétque infinitis exemplis onfirmari, ſi vellem toties jam dicta x libris vulgata repetere. A quibus quantum diſtet Lavardini exceptio promulgationem cauſantis, nemo non videt. Prohibent Romana Diplomata Galliæ inferri, prohibent recipi; & poſteà cauſantur, non eſſe recepta, non eſſe vulgata, non eſſe nota, hoc nimirum Carolus Magnus voluit, hoc Ludovici, hoc Bernardus, hoc ipſi Epiſcopi jurârunt, cùm Sacramento polliciti ſunt: *Totis viribus Apoſtolica mandata recipere, & quàm diligentiſſimè exequi.* Quamquam fruſtrà conſumor

(a) S. Bernardus ep. 131.

conſumor rebus probandis tam claris, támque indubitatis, quæque jam dudum ipſi Lavardino perſpecta ſunt viro tantâ rerum experientiâ claro: ſed maluit aliquid dicere, quodcunque illud eſſet, quàm ſeipſum ſilentio damnare more Athletarum etiam in caſu luctantium; ídque præclarè quidem, ſi luſus, non res ſeria ageretur; aut lucta cum alio adverſario, quàm cum veritate & juſtitia eſſet.

XI. *Sextò*, addit Anonymus: (a) *Lavardinum ſine forma, ſine cauſa, ſine ratione, non auditum, non defenſum, Romæ pro Excommunicato declaratum eſſe.*

℞. Gallis nihil videtur, quidquid Lavardinus Romæ deliquit; at aliud non tantùm Pontificis Romani, ſed etiam totius Europæ judicium eſt. Si ergo cauſa quæritur, ob quam excomunicari meruit, dico non unam, ſed plures imò graviſſimas fuiſſe; videlicet quòd contra Pontificis Bullam ſub pœna excommunicatonis

latæ

(a) Fol. 3.

latæ ſententiæ, ipſóque facto incurrendæ, jus Aſyli, & Quarteriorum, ut vocant, uſurpaverit; quòd non minimam urbis Romanæ partem armis occupaverit, armíſque retinuerit: quòd contra omne jus Gentium non Legati, ſed hoſtis & bellatoris more urbem invectus ſit, Principe coràm, ac magno publicæ quietis periculo: quòd Palatio & vicinæ regioni excubias, circitores, armatóſque cum teſſera militari circumfuderit, id quod nullibi terrarum, & à nullo Legatorum hactenùs factum, ſolíque Princpi licet: quòd Julij III. Pij IV. Gregorij XIII. aliorúmque Pontificum Bullis crimine læſæ Majeſtatis ſe obſtrinxerit: quòd publicanos & Principis Vectigalia non paucis millibus fraudaverit, ſolvíque prohibuerit. Præſertim verò quòd ingenti urbis offenſione ac Religionis contemptu ſacra profanaverit, idque tanto faſtu, tantáque oſtentatione ac deriſu ſupremæ in rebus Eccleſiaſticis Pon-

F   tificum

tificum auctoritatis, ut poſt Attilæ & Alarici ætatem, aut ſaltem poſt irruptionem Borbonij nihil ſimile Roma conſpexerit, fuerítque periculum tam perverſo exemplo totam urbem, Italiámque corrumpi. Hoc nulla ætas Lavardino ignoſcet; quidquid enim litis cum Pontifice fuerit, non ideò Religio in diſcrimen vocari, ludibrióque infidelium exponi debuit. Hæc ergo tam multa & magna, cùm Lavardinus deliquerit, innocenti tamen, & admiranti ſimilis quærit: *Quam ob cauſam Pontificis indignationem meruerit?* Planè ſi non dico omnia, ſed vel minimum eorum, quæ Romæ peracta ſunt, Pariſijs ab aliquo Legatorum contigiſſent, num illum vel momento Rex ferret? Enimverò nunquam Lavardinus præpotentium reorum more cauſam & delictum fatebitur; ſed hoc nihil morari Pontificem debuit: juſta enim, an injuſta ſit cauſa, ob quam anathemate punitus eſt, non Lavardini, ſed Orbis

terrarum,

terrarum, aliorúmque Regnantium exemplo (qui Aſylo ceſsêre) ac præſertim Pontificis judicio decidendum fuit, qui more aliorum Principum, rerum, urbiúmque ſuarum ſolus Judex & moderator eſt; tam enim Pontifex Dominus Romæ eſt, quàm Rex Pariſijs. Si ergo nullius Principis Legatum eâ ratione Pariſijs Rex pateretur, quâ Lavardinus uti voluit Romæ, nec ſuarum Legum cauſas ab alijs, quàm à ſe uno examinari ferret, quid tandem deliquit Innocentius, quidve commiſit injuſti, ſi id Romæ fecit, quod Rex Pariſijs feciſſet?

At excommunicare non debuit.

At multò minus debuit Lavardinus excommunicationem provocare, imò extorquere. Repetantur enim memoriâ, quæ Romæ peracta ſunt, & nemo inficias iverit, ex induſtria & velut ſtudioſè à Gallis curatum eſſe, ut invito ac tergiverſante Pontifice cenſuras exprimerent. Quæ

enim neceſſitas fuerat, cùm conſtaret de Pontificis voluntate, aliorúmque Regum exemplo Aſylo abſtinentium, Legatum mittendi (nam Gallicis negotijs Eſtreus Cardinalis ſufficere poterat, imò abundare) urbémque armis non militariter tantùm, ſed hoſtiliter etiam implendi? nam quòd nec pugnæ, nec cædes contigerint, non humanitas invadentium, ſed modeſtia Pontificis fuit arma prohibentis.

Rurſus quid oportebat Lavardinum nocte Nativitati Salvatoris ſacrâ tanta cum pompa, cultúque ac apparatu inſultantis in Eccleſia comparere, ſacríſque palàm defungi, quæ non ignorabat ſibi à Pontifice interdicta? Si tanta, ut inquiunt, pacis cupido, cur non expectatum? cur Legatio non aliquandiu dilata, dum miteſcerent animi, dúmque tempus remedia ſuggereret, aut ſaltem dum finis Turcico bello imponeretur, quod planè Galli prævidebant in-

genti

genti cum damno Religionis Chriſtianæ abruptum iri, ſi pergerent Pontificem, Italiámque turbare. Unde multorum ſententia fuit, ſtudiosè à Gallis hanc occaſionem captatam eſſe, ut bello Italiæ illato, aut ſaltem belli periculo, Italiæ Germaníæque Principes, ac ipſum Imperatorem à Turcis averterent, cogeréntque finem victorijs ponere, ac Imperio Ottomannico jam cadenti requiem, pacémque concederent, ídque non tam Barbari amore (quod nefas de Chriſtianiſſimo Rege cogitare) quàm metu Auſtriacæ Potentiæ tot victorijs, tot Provincijs auctæ. Sed abſit à me credi tam aliena à pietate & magnitudine Ludovici Regis, cui nulla major cura, quàm Religionis, quíque alienis damnis non eget, ut creſcat, viribus ac potentiâ ſuâ tutus. Illud verum eſt, & negari non poteſt, multò gloriosiùs, utiliúſque Regiam indignationem in Barbaros Turcáſque, quàm in Pontificem converſum iri,

Digitized by Google

cùm cauſæ & injuriæ non deſint longè atrociores. Nota ſunt, quæ Gallico Oratori Conſtantinopoli evenére, quando tam indignè à Turcici Imperij Miniſtris habitus eſt, ejectúſque aulâ, mancipij more, & tamen quàm clementer à Gallis diſſimulatum? Idem ergo ſperari pro Pontifice poterat, præſertim cùm nihil tale Lavardino contigerit, & ſaltem Innocentij ætas, merita, ſanctitas, curæque delendis Ottomannis tam feliciter impenſæ veniam, aut ſaltem moras aliquas mererentur. Petimus pro Innocentio, quod Turcis ſpontè conceſſum.

Quod verò dicitur: *Pro re merè temporali, qualis eſt immunitas à Gallis prætenſa, non debuiſſe Lavardinum excommunicari.* Facilè ignoſci poteſt Advocato Lavardini, quippe ſacrorum Canonum, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & idiomatis, quo ſancti Patres ab initio florentis Eccleſiæ ſemper uſi ſunt, ignaro; iſti enim ſemel Eccleſiæ, Deóque donata

donata non pro rebus merè temporalibus, ſed pro rebus ſacris, ac Chriſti patrimonio habuêre, & ideò iſtorum uſurpatio etiam in ipſa Gallicana Eccleſia pro ſacrilegio ſemper habita eſt, abſtineóque exemplis, utpotè in re clara, ac in omnibus ſæculis nota. Planè hanc Theologiam ignorârunt antiquæ Eccleſiæ Patres, quando in cauſis etiam temporalibus non Reges tantùm, ſed Orbis totius Imperatores anathemate perſtrinxerunt. Sic Ambroſius Theodoſium ob cladem Theſſalonicenſem. Sic Stephanus VI. Carolum Magnum, ſi nuptias cum Longobarda junxiſſet Deſiderij filia. Sic Baſileenſe, & Conſtantienſe Concilia toties à Gallis laudata, & Gallicis Præſulibus plena in cauſis merè temporalibus Principes excommunicant, ut videre eſt ſeſſionibus 20. 31. 37. & ultimâ. Atque ne Gallijs, & argumento, de quo agitur, exeamus, placeat ea tantùm audire, quæ Pariſienſis & Turonenſis Conciliorum

 Patres

Patres in hac cauſa decreverunt. (a) *Placet*, inquiunt Pariſienſes, *ac omnibus convenit, ut quicunque res Eccleſiæ injuſtè poſſidens præſumpſerit retinere, ab omnibus Eccleſijs ſegregatus, à ſancta Communione habeatur extraneus, néque aliud mereatur remedium, niſi culpam propriam rerum emendatione purgaverit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas audet rapere, & injuſtè poſſidere.* Et infrà: *Perpetuo anathemate feriatur, qui res Eccleſiæ confiſcare, aut conterere, aut pervadere præſumpſerit.* Nota ſanctiſſimos, præcipuâque doctrinâ huic Concilio interfuiſſe, qnorum Princeps S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis. Patres Concilij Turonenſis II. (b) *Inviolabiliter ſervandum cenſemus, ut quicunque tam Eccleſiæ, quàm Epiſcopi res proprias pervadere, competere, vel confiſcare præſumpſerit, & pertinaciter in pervaſione perſtiterit, ut verè ſit ſuper eum maledictio, quæ ſuper Judam venerit, ut non ſolùm excommunicatus, ſed etiam*

(a) Concil. Pariſ. I. cap. 1. & c. 2. Anno 559.
(b) Concil. Turon. c. 24. Anno 570.

etiam anathema moriatur, & cœleſti gladio fodiatur. En ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ, tunc videlicet temporis, cùm doctrinâ & ſanctitate florebat, ac cùm omni adulatione ac ambitu procul, veritati, non gratiæ ſcribebat. Scio omiſſis infinitis alijs hæc duo teſtimonia ſufficere, ſi tam facilè Gallia perſuaderi poſſet, quàm facilè convinci; ſed illud moleſtum eſt, quòd ratione ſuperati ad potentiam, viréſque appellant: nec iſtis opponi aliud poteſt, quàm Divina protectio, omni tandem humanâ ſuperior; hîc Innocentius acquieſcit, paratus experiri, quidquid aut Gallo, aut Deo placuerit; nec enim Innocentij cauſa, ſed Dei agitur; vincet aut cadet, utcúnque Cœlo videbitur.

At citari, moneri, audiríque priùs debuit.

Non ignorat Roma, quid in hujuſmodi cauſis fieri, omittíve oporteat; planè infelix ſit & rudis, ſi Eccleſiaſticos ritus, formáſque Cenſurarum diſcere à Regibus, militibus

& Advocatis debeat. Neminem priùs fidelium communione arcendum eſſe, quàm monitus, auditúſque ſit, res eſt certa, ac millies in ſacris Canonibus repetita, ac præſertim in Pariſienſi ac Turonenſi ſynodis, quas paulò antè citavimus. Sed æquè certum eſt, quoties Cenſuræ non ab homine, ſed à jure & Lege feruntur, nullâ aliâ monitione opus eſſe, cùm ſatis ac ſemper ipſa lex moneat; in notorijs quóque, & quæ nullâ tergiverſatione celari, negaríve poſſint, non oportet, ut monitio aut citatio declarationem præcedat. Præſertim cùm Excommunicatio non eſt comminatoria, ſed latæ ſententiæ; & non in genere tantùm, ſed in particulari caſu, & contra particularem Perſonam inflicta. Conſilium quóque Lateranenſe, & ipſa Conventio, ſeu Concordatum inter Pontificem Leonem X. Regémque Galliæ Franciſcum I. clarè diſponunt, cùm de Excommunicatione ita conſtat, ut ea

ea nullâ tergiverſatione celari poſſit, ſine alia denuntiatione pro Excommunicato habendum, vitandúmque eſſe. Hoc cùm Collegium Eccleſiæ S. Ludovici non obſervaverit, meritò interdicto ſupponi debuit, & ſimul Lavardinus pro Excommunicato declarari. Hæc ſunt comperta & millies nota, nec à Lavardini Theologis ignorari poterant, ſed oportuit aliquid dici, quodcúnque illud eſſet, ne viderentur culpam ſilentio fateri. Notum erat Lavardinum Romam intrâſſe, notum quóque armatis, excubiiſque Palatium ejúſque regionem obſediſſe, ne Juſtitiæ Miniſtris pateret, notum quóque natalitiâ Chriſti nocte ſacris Myſterijs procuratum eſſe; quid ergo in re tam clara, támque indubitata, totáque Româ inſpectante facta, citari illum, interrogaríque oportuit?

XII. *Septimò*, (a) pergit Anonymus dicere: *Honores, quibus in Eccleſia S.*

(a) Fol. 3.

Digitized by Google

Ludovici Lavardinus affectus eſt, dignitati Gallici Oratoris annexos eſſe, quippe Gallici Regis Majeſtatem repræſentantis; non ergo aut à Pontifice, aut ab Eccleſia pendere, neque hanc ob cauſam potuiſſe à Romano Pontifice Lavardinum excommunicari, aut Eccleſia S. Ludovici interdicto ſupponi.

℟. Utinam Lavardini Satellites & Advocati de armis potiùs & caſtris, quàm de excomunicatione & Interdictis loquerentur, quæ non intelligunt. Nec enim Eccleſia S. Ludovici interdicto ſubjecta eſt, quòd ejus Eccleſiæ Sacerdotes Lavardino honores detulerint Legato debitos (quamvis & hîc peccatum, cùm reverà Legatus non fuerit) ſed ut loquitur Edictum: *Quòd auſi fuerint ad Divina officia & participationem Sacramentorum admittere, cùm conſtaret, notoriè excommunicatum eſſe.* Si ergo non patitur Lavardinus Pontificem decernere de honoribus Legato debitis; æquè Pontifex non patitur Lavardinum de Eccleſijs & Cenſuris judicium ferre, quæ à ſolis Sacerdotibus

tibus cognoſci debent, Romæ præſertim, ac in Regia Pontificis. Similis ferè eſt Lavardini querela, cùm in Apologia dixit: *Regis Chriſtianiſſimi Miniſtros, utpotè qui Perſonam ac Majeſtatem ipſius Regis referant, nullis Cenſuris ſubjacere.* Quæro enim à quanto tempore potiri Reges hoc privilegio cæperint? mihi enim hiſtoriam Eccleſiaſticam percurrenti infinita Exempla occurrunt Regum, quos non tantùm Pontifices, ſed etiam Galliæ Antiſtites excommunicatione perculerunt. Pauca ex multis libabo. S. Chryſoſtomus de Regibus Univerſim ita loquitur: (a) *Et ad vos* (Sacerdotes alloquitur) *ſermonem convertere neceſſarium eſt, ut cum multo ſtudio hæc dona* (ſacram videlicet Euchariſtiam) *diſtribuatis: non parva vobis imminet ultio, ſi quemquam ullius culpæ conſcium, hujus menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis ejus de manibus veſtris exquiretur, ſive quis Dux militiæ ſit, ſive Præfectus, ſive Princeps diademate coronatus; indignè*

(a) S. Chryſoſt. hom. 60. ad Popul. Antioch.

autem accedat, prohibe: majorem illo poteſtatem habes, hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc corona. Ex prima Clodovæi Merovingica ſtirpe, S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis *Charibertum* Regem, & Manoveſam, quam inceſtis nuptijs duxerat, anathemate ferit: (a) *Cúmque* (verba ſunt Gregorij (b) Turonenſis) *eam Rex relinquere nollet, percuſſa judicio Dei obijt.* In ſecunda Carolina ſtirpe Stephanus IV. Romanus Pontifex *Carolo Magno* recentibus adhuc in Apoſtolicam Sedem meritis excommunicationem (c) intentat, niſi continuò nuptias cum Deſiderij filia abrumpat, tantúmque abfuit indignari Carolum, aut id Majeſtate Francicâ indignum ducere, ut potiùs quàm primùm paruerit, Longobardâ ejectâ. In eadem ſecunda ſtirpe Carolum ſimplicem fœdus cum Northmannis infidelibus parantem S. Fulco Rhemenſis

(a) Anno 570. (b) Greg. Tur. hiſtor. Fran. l. 4. (c) Habetur epiſtola Stephani tom. 3. Concil. V. Æmil. & Spondan. ad Annum 770.

Digitized by Google

menſis Archiepiſcopus ſuo & omnium Galliæ Antiſtitum nomine his verbis abſterruit: (a) *Cum omnibus Epiſcopis meis ego vos & omnes veſtros excommunicans, æterno anathemate condemnabo.* Vides, quæ tunc temporis non unius Fulconis, ſed totius Gallicanæ Eccleſiæ mens & ſententia fuerit. In tertia Galliæ Regum Dynaſtia *Robertus* Hugonis Capeti filius, quòd inceſtas nuptias junxiſſet, à Galliæ Epiſcopis ſacris excluſus, adeò omnibus horrori fuit, ut vix tres famuli obſequio ſuperfuerint, anathematis reverentiâ, profecitque ſeveritas, pellice paulò poſt palatio pulsâ. Rem Damianus (b) & Pithæus narrant. Ex eadem Dynaſtia ob ſimilem cauſam *Philippus* Roberti Nepos primùm in Concilio Lugdunenſi, deinde ab Urbano II. abſolutus, teſte Ivone (c) Carnotenſi. *Philippo II.* æquè Francorum Regi, quòd

(a) Flodoard. l. 4. c. 5. Anno 898. (b) Petrus Damian. l. 2. ep. 15. Pith. in chron. (c) Ivo Carnot. ep. 166. & 169.

Digitized by Google

quòd legitimam uxorem dimiſiſſet, anathema intentatum, ac Galliæ Regnum interdicto ſubjectum eſt, ídque Galliæ Epiſcopi adeò non improbârunt, ut quàmplurimi eorum exilio puniti ſint, (a) quòd Pontifici paruiſſent. Tandem reſipuit, petitâ ab Innocentio veniâ, receptáque in Thalamum Reginâ. Ex ſtirpe & Dynaſtia Valeſia *Henricus III.* à Sixto V. monetur, ut Borbonium Cardinalem & Archiepiſcopum Lugdunenſem carceribus liberet, ni faciat, pro excommunicato declaratum iri, fuítque monitorium in Gallijs, Carnuti, Metíſque promulgatum, & quia eodem anno mors Henricum prævenit, ejus cadaver publico funere, ſolitíſque ſuffragijs ſupra duodecim annos caruit (quòd crederetur excommunicatus deceſſiſſe) donec ſub Henrico IV. agente Oſſato (b) Cardinali & abſo-

(a) V. Spondan. ad ann. 1198. Raynald. ann. 1200. n. 9. (b) V. Spondan. ad annum 1589. n. 16. & Oſſat. ep. 215.

abſolutionem Henrici IV. nomine, ac Eliſabethæ Regiæ viduæ infinitis argumentis urgenti, tandem à Clemente VIII. impetrata eſt. Agnovit ergo Gallia poſſe Reges excommunicatione puniri. Idem Henricus Rex per Cenomanenſem Epiſcopum, Cardinalem Jojoſam, ac Piſanij Marchionem Legatos, ac in genua provolutos abſolvi à Cenſuris rogavit, quas ob cædem Guiſij Cardinalis incurrerat; (a) nec tamen obtinere potuit, quippe Borbonio Cardinali & Lugdunenſi Archiepiſcopo necdum carcere eductis. Ex ſtirpe Borbonica Henricus Navarræ Rex ob hæreſin, quam ſemel abjuraverat, iterúmque profeſſus fuerat, à Sixto V. diris percuſſus eſt, ídque ritè à Pontifice factum Clerus Gallicanus agnovit, habuítque Regem pro excommunicato; & quamvis Henricus vehementer excommunicationi adverſatus ſit, nunquam tamen privilegium obtendit, quòd Reges

(a) Spondan. cit.

Reges excommunicari non poſſint: ſed ſolùm quòd hæreticus non eſſet, qualis à Sixto arguebatur. Ipſa Sorbona inter alias propoſitiones (quas Henrico addicti vulgaverant) hanc quóque in publico Senatu decimâ Februarij damnavit. *Pontificibus Romanis jus non eſt Reges excommunicandi.*

Ita ſcribit Spondanus, (a) qui ad annum 1585. refert ejuſdem Henrici inſtructionem Oſſato & Peronio Legatis ſuis datam, in qua petebat Rex à Cenſuris & excommunicatione abſolvi, quas incurrerat. In ipſa quóque abſolutione à Clemente VIII. publicè Legatis conceſſa, Rex à Cenſuris, quibus tenebatur, (b) liberatus eſt.

Et ſi hæc omnia deeſſent, ſufficeret clariſſima Chriſti ſententia Petrum alloquentis: *Quæcúnque*, inquit, *ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis.* Si *quæcunque*, ergo & Galliæ Reges, niſi

(a) Spondan. ad ann. 1585. n. 17. (b) Spondan. ann. 1590.

niſi dicant, ad iſtos Evangelium non pertinere, aut Chriſti præceptis exemptos eſſe.

Ex his omnibus aliiſque quàm plurimis, quæ ſilentio prætermittimus, palàm eſt, poteſtatem excomunicandi Reges ſemper in Gallijs agnitam, exercitámque, imò & ſaluberrimam fuiſſe, quoties ſanandis hoc remedio ægris Principibus ſuam Epiſcopi operam Pontifici ſociârunt. Nunquàm Henricus IV. & fortè nulli ampliùs Galliæ Reges Catholicam Religionem amplexi eſſent, niſi illum Pontifices vibratis Cenſuris compuliſſent. His ergo Gallia debet conſervatam Religionem, & tot alia bona, quæ ex Religione conſequuntur; nec verò aut Carolo Magno aut Henrico Magno quidquam Majeſtatis deceſſit, quòd ſe punienti Pontifici ſubmiſerint, imò venerationem illis amorémque auxit ſubjectio, non vi, nec metu, ſed Religione expreſſa. Et Magno Theodoſio quid nocuit ad

pedes accidiſſe Mediolanenſis Antiſtitis? num ideò minus potentiâ, victorijs, reverentiâ ſubditorum floruit? imò tantò major, quantò modeſtior, ſubjectiórque Sacerdoti: & cui iſtorum ad Concilium, aut ab abuſu appellandi cogitatio incidit?

Non hæc dico, quaſi ignorem, quàm parcè ſacris fulminibus uti Pontifices oporteat, in Reges præſertim, quorum arbitrio ſedet, aut obſequi, aut obniti, ac plerúmque pudet moneri, multóque magis puniri: nec facilè culpam agnoſcunt libertate peccandi, ac famulantium adulatione: nec etiam me latet, quantum mali proveniat ex facilitate Cenſuras cumulandi. Cœterùm nihil eſt tam ſanctum, quo abuti non poſſis, nec nos abuſum, ſed uſum commendamus, eúmque præparcum & neceſſarium. Quot mala ex poteſtate regnandi, bellúmque indicendi? quot ex Matrimonijs, negotiationibus, judicijs proveniunt? num propterea hæc

omnia

omnia damnanda abuſuum obtentu? Idem de excommunicatione & Cenſuris dicas, quas cùm neceſſitas Innocentio extorſerit, nemo Judicem accuſet, qui pœnam dictavit: ſed reum, qui meruit, imò qui extorſit.

Auctor quidem ſeu potiùs Compilator libertatum Gallicarum multa congerit, ut oſtendat, non poſſe Reges excommunicari; ſed ea planè nihil probant, cùm tantùm aut facta aliqua Principum narrent, ex quibus nullum jus colligi poteſt (quid enim non licebit, ſi exempla ſequamur?) aut aliqua Parlamentorum Senatûs Conſulta, quibus nulla poteſtas eſt de auctoritate Eccleſiaſtica, ejúſque finibus judicandi; aut denique abuſus tantùm Cenſurarum damnantur. Taceo hunc librum anno 1639. ab ipſo Galliæ Clero Pariſijs damnatum, prohibitúmque eſſe: *Quòd* (verba ſunt Spondani) *multa contineret, quæ magis ad Eccleſiæ ſervitutem tendere, & ſchiſmatis occaſionem præbere viderentur, & ideò primò*

à ſacro

à ſacro Conſiſtorio Regio prohibita ſunt di-ſtrahi & vendi: deinde Eminentiſſimorum Cardinalium, Cæterorúmque Illuſtriſſimorum Antiſtitum, qui tunc Lutetiæ reperti ſunt undeviginti: neſcit enim Eccleſia Gallicana libertates, quæ malum operantur: neſcit jura, quæ illam à Romanæ Matris firmiſſima connexione & filiali obedientia divellant. Hactenùs (a) nobiliſſimus ſcriptor.

XIII. *Octavò.* (b) *Sed*, inquit Anonymus, *ſi jus Aſyli, & immunitatum abuſus eſt tam horridus, tantáque abominatione dignus, ut Pontifex Religioni & Conſcientiæ ſibi duxerit illum ampliùs ferre; cur ergo tanto jam tempore illum tulit? cur poſt tot annos Conſcientia Pontificem monuit? Id planè indicio eſt, aliud, quàm Conſcientiam quæri.*

℟. Nihil feſtivius eſt, quàm audire Lavardinum, ejúſque Advocatos de Conſcientia & Religione loquentes; ſuâ enim Conſcientiâ Pontificis metiuntur; & cùm illis poſtrema ſit hæc cura, ſedémque ultimam obtineat, ludere

(a) Spondan. ad ann. 1639. (b) Fol. 4.

ludere putant, quotquot Conſcientiam appellant. Tulit ergo Pontifex primis annis hunc Aſylorum abuſum eo ferè pacto, quo Agricola lolium & Zizania florente in agro: non quòd amet, ſed quòd frumento ſit mixta, quærátque occaſionem evellendi. Eadémque ratione quæri poſſet, cur Galliæ Rex, ſi conſcientiæ ſibi duxit Calviniſtarum hæreſin in Gallia ferre, non ſtatim ejecerit? Planè Innocentius in ipſo ſtatim limine initi Pontificatûs profeſſus eſt, ſe Aſyla nunquam laturum, ut tamen Regum Majeſtati honor haberetur, lentè proceſſum; moniti, rogati, convictíque rationibus ſunt: expectatum quóque, dum Principum Legati, qui tum vivebant, decederent. Tandem ubi omnia parata, ubi veneratio Pontificis tot rebus ſecundis aucta, ac ipſe Rex Galliæ pollicitus, ſe aliorum Principum exemplis imitandis non ultimum fore, ubi denique alij Reges Aſylo ceſsêre; meritò viſum eſt

Ponti-

Pontifici, non ampliùs ceſſandum. Expectavit ergo æſtatem, ut meteret. Quid potuit à Pontifice aut prudentiùs, aut humaniùs fieri?

XIV. *Nonò.* (a) *Verbis*, inquit Anonymus, *generalibus non comprehenduntur Perſonæ notâ ſpeciali dignæ, quales ſunt Principum Legati: non potuit ergo Lavardinus ex verbis Bullæ pro excommunicato haberi. Imò nec dici quidem poteſt, Lavardinum caſum Bullæ incurriſſe, quippe vim nullam adhibuit, nec curſum Juſtitiæ impedivit.*

℟. Oportet ab hoc Lavardini Advocato Bullam Innocentij, ne quidem lectam fuiſſe, alioquin nunquam hæc ſcriberet tam adverſa veritati. Renovat Innocentius Julij III. Pij IV. Gregorij XIII. Diplomata, & illa verbatim recitat; at in illis expreſſa fit Legatorum mentio; quî ergo dici poteſt Bullam Innocentij nihil de Legatis loqui? Deinde in Bulla Innocentij hæc clauſula adjungitur, videlicet:

(a) Fol. 4.

licet: *Omnes quâcunque dignitate & auctoritate tam Eccleſiaſticâ, quàm ſæculari præfulgentes, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio facienda eſſet.* Quæ verba ex omnium Juris-Conſultorum ſententia æquivalent expreſſioni individuæ: tantúmque operantur, quantum ſi Lavardini nomen in Bulla recitatum eſſet; demonſtrant enim enixam Pontificis voluntatem. Et quamvis hæc omnia non eſſent, quis neſcit ſacro Cardinalium Collegio, omnibúſque Romæ Prælatis ex parte Pontificis denuntiatum eſſe; caverent, ne Lavardino ſociarentur, quippe ſacris interdicto; imò ipſe Lavardinus à Ranuccio Cardinali de voluntate Summi Pontificis monitus eſt: ac tum maximè, cùm Clericis Lateranenſis Eccleſiæ indictum, ut ſi Lavardinus Divinis officijs aſſiſteret, quæ in honorem ſanctæ Luciæ peraguntur, continuò ſacra cantúmque abrumperent, ut fieri ſolet, cùm adſtant palàm excommu-

Digitized by Google

nicati; quid ergo ampliùs fieri potuit, ut conſtaret Pontificio Diplomate Lavardinum comprehendi? ſed piget tam claris immorari, & misereor Lavardini tam infelici Advocato nixi, & tam abſurda narrante. Paria ſunt, quæ dicit, *de non impedito Juſtitiæ curſu, nulláque vi adhibita.* Nam quàm verum id ſit, ſatis intelligas ex ijs, quæ de ingreſſu Lavardini jam ſuprà recenſui, & quæ quotidie geruntur, Româ fremente, ac Pontificis moderationem contra tot inſultus demirante.

XV. *Decimò.* (a) *At Sixtus V. quamvis Jure Aſyli Legatos prohibuerit, non tamen adjunxit pœnam excommunicationis, imò ſuſtulit à ſuis Anteceſſoribus jam latam.*

℟. Non ſequitur, ut quod unus Pontifex omiſit, alius quóque omittere debeat. Quàm multa à Ludovico Rege (qui modò Galliarum potitur) confecta ſunt, ejus majoribus planè intentata? ergo omnibus rebus ſua

(a) Fol. 4.

ſua ætas & maturitas eſt: alioquin quantum Principibus otium & ſterilitas erit, ſi non faciant, niſi jam facta? Deinde nota eſt omnibus Sixti ſeveritas, qui cùm timeri vellet, temporales pœnas ante ſpirituales habuit, maluítque curandis delictis ferro uti, quàm cruce. Alia Methodus Innocentio, cui cum Magnatibus pugna, & ideò Religione, non ſupplicijs damnandos cenſuit, riſúmque provocâſſet, ſi carceres, aut exilia, aut multam Regibus minaretur. Nec obſtat exemplum Sixti, quando alia, multóque majora exempla ſuppetebant, quæ Innocentius imitaretur, Chryſoſtomi videlicet, Ambroſij, Athanaſij, Gregorij Magni, Nicolai I. aliorúmque Pontificum, quos infrà memorabo.

XVI. *Undecimò:* (a) *Si Innocentius,* inquit Anonymus, *prius Conſilia & vota ſacri Collegij excepiſſet, quàm Bullam vulgaret, ſeque tam grandi periculo immer-*

(a) Fol. 4.

Digitized by Google

geret, nihil ſimile aggreſſus eſſet, Patrum ac præſertim Cardinalis Eſtrei rationibus victus.

℟. Supponit Lavardinus, Bullam Innocentij, quâ Legatorum Aſyla prohibentur, ſolo Pontificis, ejúſque Domeſticorum nutu excidiſſe, non rogatis, non auditis Cardinalium votis. At verò id tam falſum eſt, ut pudeat refellere. Legant Pontificis Bullam, videbúntque Purpuratorum nomina magno numero ſubſcripta; num verò ſubſcriberent aut non lecta, aut non probata? major eſt Romæ, quàm Pariſijs dicendi libertas: licet Cardinalibus & ſentire & loqui, nec ullus exilio punitus, quia verum dixit; ut nuper in Regaliæ cauſa Pariſijs factum. Illa quóque verba Bullæ inſerta videlicet: *De fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ac præmaturâ conſideratione præhabitâ*, Gallum falſi convincunt. Multò minùs dici poteſt, *Cardinalem Eſtreum in hac cauſa auditum non eſſe.* Quis enim Eſtreum prohibuit, ne loqueretur? aut quando

quando ei occaſio loquendi defuit? aut quando acceſſu Pontificis prohibitus eſt? Planè excuſari non poſſet Cardinalis ſocordia, ſi obmutuiſſet, cùm tam multis ex cauſis ad dicendum urgeretur: imò non tantùm dixit, ſed etiam ſcripſit: at veritas & juſtitia cauſæ, vocem & calamum vicit.

XVII. *Duodecimò:* (a) *Non*, inquit, *Pontificem decuit, ſuſtinendæ cauſæ merè temporali ac politicæ (qualis eſt, quæ Aſyla Legatorum ſpectat) ſacram dignitatem, pacémque ſtatûs Eccleſiaſtici, imò totius forſan Europæ periculo exponere.*

℟. Credo equidem, quando Innocentius de abrogandis Aſylis cogitavit, id primùm & ante omnia expendiſſe, plus boni an mali hæc mutatio pareret: nec improviſa illi pericula, quæ modò narrantur; ſed tanti non erant, ut tam ſanctum & neceſſarium opus morari deberent, idque juſtiſſimis ex cauſis, ut jam commemorabo, juvátque longiùs

(a) Fol. 4.

immorari rationibus exponendis, quæ Pontificem obfirmârunt; video enim id potiſſimùm Innocentio objectum, ac præſertim ab Eſtreo Cardinali, cùm votum ſuum calamo exponeret; videlicet imperitos Medicos Pontificem imitatum eſſe, quando morbum mederi aggreſſus eſt pejori remedio. Sed nego, mecúmque negabunt, quotquot pacatis, placidiſque animis rem totam conſiderant, debuiſſe videlicet tam gravem, plenúmque flagitijs abuſum ferri metu malorum, quæ jam tum præviderat, & nunc tanto ſtrepitu à Gallis præcinuntur.

Nam *Primò* ſupponunt Galli, Jus & immunitates Aſylorum rem eſſe merè politicam & temporalem; at maximè falluntur: cùm enim infinita ſint flagitia, quæ illorum causâ, & ſpe impunitatis patrabantur; ídque omnium Nationum, quæ Romam concurrunt, peſſimo exemplo; oportuit Aſyla conſiderari non ſolùm ut

loca

loca, in quibus Principis poteſtas & Juriſdictio violatur; ſed etiam in quibus ſuprema Dei Majeſtas graviſſimis injurjis afficitur; at verò quid magis ad Chriſti Vicarium pertinet, quàm quovis humano reſpectu ſepoſito cavere, ne Chriſtus tam indignè offendatur, & tot animæ peſſumeant Chriſti Sanguine redemptæ? non ergo cauſa Aſylorum eſt cauſa merè prophana, niſi fortè illis ſolis, qui nullâ Dei & animarum curâ tanguntur.

Deinde ſuprema Pontificis Juriſdictio, quæ tot Aſylis in urbe violatur, non eſt inter cauſas merè prophanas cenſenda; quæ enim ad Eccleſiam pertinent, Deo dicata ſunt, nec poſſunt ſine ſacrilegio uſurpari. Id tam certum, ut nihil frequentius jam ab initio florentis Eccleſiæ ſit à Patribus inculcatum: omittóque exempla & teſtimonia Patrum jam alibi narrata. Cadit ergo præcipua Lavardini ratio, cùm videlicet negat, prudenter Inno-

Pontifici, non ampliùs ceſſandum. Expectavit ergo æſtatem, ut meteret. Quid potuit à Pontifice aut prudentiùs, aut humaniùs fieri?

XIV. *Nonò.* (a) *Verbis*, inquit Anonymus, *generalibus non comprehenduntur Perſonæ notâ ſpeciali dignæ, quales ſunt Principum Legati: non potuit ergo Lavardinus ex verbis Bullæ pro excommunicato haberi. Imò nec dici quidem poteſt, Lavardinum caſum Bullæ incurriſſe, quippe vim nullam adhibuit, nec curſum Juſtitiæ impedivit.*

℟. Oportet ab hoc Lavardini Advocato Bullam Innocentij, ne quidem lectam fuiſſe, alioquin nunquam hæc ſcriberet tam adverſa veritati. Renovat Innocentius Julij III. Pij IV. Gregorij XIII. Diplomata, & illa verbatim recitat; at in illis expreſſa fit Legatorum mentio; quî ergo dici poteſt Bullam Innocentij nihil de Legatis loqui? Deinde in Bulla Innocentij hæc clauſula adjungitur, videlicet:

(a) Fol. 4.

licet: *Omnes quâcunque dignitate & auctoritate tam Eccleſiaſticâ, quàm ſæculari præfulgentes, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua mentio facienda eſſet.* Quæ verba ex omnium Juris-Conſultorum ſententia æquivalent expreſſioni individuæ: tantúmque operantur, quantum ſi Lavardini nomen in Bulla recitatum eſſet; demonſtrant enim enixam Pontificis voluntatem. Et quamvis hæc omnia non eſſent, quis neſcit ſacro Cardinalium Collegio, omnibúſque Romæ Prælatis ex parte Pontificis denuntiatum eſſe; caverent, ne Lavardino ſociarentur, quippe ſacris interdicto; imò ipſe Lavardinus à Ranuccio Cardinali de voluntate Summi Pontificis monitus eſt: ac tum maximè, cùm Clericis Lateranenſis Eccleſiæ indictum, ut ſi Lavardinus Divinis officijs aſſiſteret, quæ in honorem ſanctæ Luciæ peraguntur, continuò ſacra cantúmque abrumperent, ut fieri ſolet, cùm adſtant palàm excommu-

nicati; quid ergo ampliùs fieri potuit, ut conſtaret Pontificio Diplomate Lavardinum comprehendi? ſed piget tam claris immorari, & miſereor Lavardini tam infelici Advocato nixi, & tam abſurda narrante. Paria ſunt, quæ dicit, *de non impedito Juſtitiæ curſu, nullâque vi adhibita.* Nam quàm verum id ſit, ſatis intelligas ex ijs, quæ de ingreſſu Lavardini jam ſuprà recenſui, & quæ quotidie geruntur, Româ fremente, ac Pontificis moderationem contra tot inſultus demirante.

XV. *Decimò.* (a) *At Sixtus V. quamvis Jure Aſyli Legatos prohibuerit, non tamen adjunxit pœnam excommunicationis, imò ſuſtulit à ſuis Anteceſſoribus jam latam.*

℞. Non ſequitur, ut quod unus Pontifex omiſit, alius quóque omittere debeat. Quàm multa à Ludovico Rege (qui modò Galliarum potitur) confecta ſunt, ejus majoribus planè intentata? ergo omnibus rebus

ſua

(a) Fol. 4.

ſua ætas & maturitas eſt: alioquin quantum Principibus otium & ſterilitas erit, ſi non faciant, niſi jam facta? Deinde nota eſt omnibus Sixti ſeveritas, qui cùm timeri vellet, temporales pœnas ante ſpirituales habuit, maluítque curandis delictis ferro uti, quàm cruce. Alia Methodus Innocentio, cui cum Magnatibus pugna, & ideò Religione, non ſupplicijs damnandos cenſuit, riſúmque provocâſſet, ſi carceres, aut exilia, aut multam Regibus minaretur. Nec obſtat exemplum Sixti, quando alia, multóque majora exempla ſuppetebant, quæ Innocentius imitaretur, Chryſoſtomi videlicet, Ambroſij, Athanaſij, Gregorij Magni, Nicolai I. aliorúmque Pontificum, quos infrà memorabo.

XVI. *Undecimò:* (a) *Si Innocentius,* inquit Anonymus, *prius Conſilia & vota ſacri Collegij excepiſſet, quàm Bullam vulgaret, ſeque tam grandi periculo immergeret,*

(a) Fol. 4.

geret, nihil ſimile aggreſſus eſſet, Patrum ac præſertim Cardinalis Eſtrei rationibus victus.

℟. Supponit Lavardinus, Bullam Innocentij, quâ Legatorum Aſyla prohibentur, ſolo Pontificis, ejúſque Domeſticorum nutu excidiſſe, non rogatis, non auditis Cardinalium votis. At verò id tam falſum eſt, ut pudeat refellere. Legant Pontificis Bullam, videbúntque Purpuratorum nomina magno numero ſubſcripta; num verò ſubſcriberent aut non lecta, aut non probata? major eſt Romæ, quàm Pariſijs dicendi libertas: licet Cardinalibus & ſentire & loqui, nec ullus exilio punitus, quia verum dixit; ut nuper in Regaliæ cauſa Pariſijs factum. Illa quóque verba Bullæ inſerta videlicet: *De fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ac præmaturâ conſideratione præhabitâ*, Gallum falſi convincunt. Multò minùs dici poteſt, *Cardinalem Eſtreum in hac cauſa auditum non eſſe.* Quis enim Eſtreum prohibuit, ne loqueretur? aut quando

quando ei occaſio loquendi defuit? aut quando acceſſu Pontificis prohibitus eſt? Planè excuſari non poſſet Cardinalis ſocordia, ſi obmutuiſſet, cùm tam multis ex cauſis ad dicendum urgeretur: imò non tantùm dixit, ſed etiam ſcripſit: at veritas & juſtitia cauſæ, vocem & calamum vicit.

XVII. *Duodecimò:* (a) *Non*, inquit, *Pontificem decuit, ſuſtinendæ cauſæ merè temporali ac politicæ (qualis eſt, quæ Aſyla Legatorum ſpectat) ſacram dignitatem, pacémque ſtatûs Eccleſiaſtici, imò totius forſan Europæ periculo exponere.*

℟. Credo equidem, quando Innocentius de abrogandis Aſylis cogitavit, id primùm & ante omnia expendiſſe, plus boni an mali hæc mutatio pareret: nec improviſa illi pericula, quæ modò narrantur; ſed tanti non erant, ut tam ſanctum & neceſſarium opus morari deberent, idque juſtiſſimis ex cauſis, ut jam commemorabo, juvátque longiùs

(a) Fol. 4.

Digitized by Google

immorari rationibus exponendis, quæ Pontificem obfirmârunt; video enim id potiſſimùm Innocentio objectum, ac præſertim ab Eſtreo Cardinali, cùm votum ſuum calamo exponeret; videlicet imperitos Medicos Pontificem imitatum eſſe, quando morbum mederi aggreſſus eſt pejori remedio. Sed nego, mecúmque negabunt, quotquot pacatis, placidiſque animis rem totam conſiderant, debuiſſe videlicet tam gravem, plenúmque flagitijs abuſum ferri metu malorum, quæ jam tum præviderat, & nunc tanto ſtrepitu à Gallis præcinuntur.

Nam *Primò* ſupponunt Galli, Jus & immunitates Aſylorum rem eſſe merè politicam & temporalem; at maximè falluntur: cùm enim infinita ſint flagitia, quæ illorum causâ, & ſpe impunitatis patrabantur; ídque omnium Nationum, quæ Romam concurrunt, peſſimo exemplo; oportuit Aſyla conſiderari non ſolùm ut

loca

loca, in quibus Principis poteſtas & Juriſdictio violatur; ſed etiam in quibus ſuprema Dei Majeſtas graviſſimis injurjis afficitur; at verò quid magis ad Chriſti Vicarium pertinet, quàm quovis humano reſpectu ſepoſito cavere, ne Chriſtus tam indignè offendatur, & tot animæ peſſumeant Chriſti Sanguine redemptæ? non ergo cauſa Aſylorum eſt cauſa merè prophana, niſi fortè illis ſolis, qui nullâ Dei & animarum curâ tanguntur.

Deinde ſuprema Pontificis Juriſdictio, quæ tot Aſylis in urbe violatur, non eſt inter cauſas merè prophanas cenſenda; quæ enim ad Eccleſiam pertinent, Deo dicata ſunt, nec poſſunt ſine ſacrilegio uſurpari. Id tam certum, ut nihil frequentius jam ab initio florentis Eccleſiæ ſit à Patribus inculcatum: omittóque exempla & teſtimonia Patrum jam alibi narrata. Cadit ergo præcipua Lavardini ratio, cùm videlicet negat, prudenter Inno-

Digitized by Google

centium feciſſe, quòd in cauſa merè temporali & politica ſacram Pontificis Dignitatem cum Regia colliſerit, adduxeritque in tantum diſcrimen.

Tertiò. Si toties Pontifici abſtinendum eſt ſalubribus Conſilijs, quoties Principes minantur, & bellum eminùs oſtentant; quid unquam præclari audebit? Si ergo Romam ſibi Galli poſtulaverint, alioquin bellùm illaturi, quo totam Europam incendant, num ideò Pontifices cedent, bellúmque & minas redimenc Chriſti patrimonio? Si ſemel Pontifices minis ſe frangi, vincíque patiantur, ídque Principes obſervent, nullum facient finem petendi, minandíque. Æquum ergo non fuit, ut Pontifex à propoſito delendi Aſyla moveri ſe pateretur ſolo metu & terrore futurorum. Fecit Pontifex, quod muneris ſui, quod neceſſitas, quod publica & privatorum ſalus, imò quod Dei cauſa (toties in Aſylis offenſi) exigebant; ídque nullus Principum,

Digitized by Google

cipum, ſi Gallos excipias, non maximè approbavit, ratúmque habuit; ſi ergo bellum & turbæ à Gallis ſequantur, cujus amabò culpâ id fiet? ſua retinentis, an rapientis aliena? & quando magis, quàm in tam juſta cauſa cœleſti patrocinio fidere, nitíque Pontifices debent? ſi omnia aut fato, aut caſu evenirent, nullâ in rebus humanis Dei providentiâ, ego quóque honeſtis conſilijs utilia præferrem, ſed quandoquidem conſtat omnia, ac præſertim Eccleſiam, Dei nutu gubernari, nunquàm perſuaderi me patiar, ut credam Deo placere ſordida conſilia, aut ſecunda fore. Hæc non mea, ſed Apoſtoli ſententia eſt: (a) *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo: nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus ſæculi?* Verbo, ſi bellandum eſt, malim Pontifices cum Gallis, quàm cum Deo & conſcientia bellum ſuſcipere.

(a) 1. Corinth. 1.

Quartò. Cùm dicitur, minus eſſe malum Regi Galliæ Aſylum ſpontè cedere, quàm vim & bellum experiri; oportet non Aſylum tantùm expendere, ejúſque ceſſionem, ſed omnia, quæ hâc ceſſione proventura ſunt; nam & arborem non ſolam, ſed cum fructibus æſtimamus Si Pontifex Gallo cedat, eâdem ratione & Hiſpano, & Anglo, & omnibus Principibus cedendum erit Aſyla poſtulantibus: at quanta hinc confuſio flagitijs impunè florentibus, & totâ ferè Româ in ſpeluncam Latronum converſâ? Imò multò quàm ante gravius malum, expérſque remedij: creſcet enim Legatorum licentia, quando ſe victores, victum Pontificem cernent. Revocentur in memoriam & mala, & pericula, quæ paucis menſibus contigêre, Lavardino non Legatum Romæ, ſed Regnatorem agente, quamvis invito & obnitente Pontifice? quid rogo fiet, ſi & perpetua & pacifica ſit hæc Aſylorum dominatio;

Digitized by Google

minatio; & omnium Principum Legatis permiſſa? imò non Legatis tantùm, ſed omnibus idem jus affectantibus? Oportebit ſanè aut Pontificem Româ excedere, aut precariò & ex magnatum arbitrio vivere, hoc eſt, ſervi non Principis more, & exemplo nullibi terrarum viſo. Quod poſſit malum comparari tam indignæ ſervituti? néque hîc finis, ubi enim ſemel Principes vicerint, & prætextu Aſyli, ut nuper Lavardinus, urbem armis, Clientelis, factionibus impleverint, ijdem, quibus nunc & paribus minis alia Pontificum jura, quoties libuerit, involabunt: imò nec tuta Pontificum & libera electio; redibítque Eccleſia in priſtinam ſervitutem, quando videlicet ſub Dominatu Tuſciæ Marchionum Pontificis electio non liberis ſuffragjis, ſed pretio, armíſque agebatur, imò ex voto meretricum, quæ in aula magis placuiſſent. Meritò igitur Innocentius etiam principia, omnémque

 ſpeciem

ſpeciem externi Dominatûs deleta voluit, ne fruſtrà eſſent remedia morbo jam valido; nec ullum malum credidit huic poſſe comparari.

Quintò. Sed & Patrum exempla Pontificem noſtrum docuêre, ne in tam juſta & neceſſaria cauſa minis, vaníſque terroribus cederet. Nulla planè virtus Magnum Pontificem ut magnanimitas & conſtantia decet, nec alia magis in Patribus floruit primitivæ Eccleſiæ, quando perpetuæ cum Principibus lites crucem averſantibus. Infinitus ſim, ſi omnia recenſeam; memoriâ repetatur, quantis minis egerit Juſtina contra Ambroſium, Eudoxia contra Chryſoſtomum, Valens Imperator contra Athanaſium; qui tamen nullo unquam terrore moveri poterant, ut à ſententia decederent: & tamen illi, qui minabantur, non Galliæ aut Hiſpaniæ Reges erant, ſed totius Orbis, Europæ videlicet, Affricæ, Aſiæque Imperatores. Quibus verò minaban-

minabantur, Epiſcopi tantùm: quantum ergo pudoris, ſi Pontifices paveant, Epiſcopis intrepidis, metúque liberis? & denique quidquid Galli iraſcantur, nunquam Orbis terrarum credet, Ludovicum Regem illi Eccleſiæ bellum illaturum, à qua ejus Stirps coronam accepit. Nam quæ gloria tanto Regi arma in Sacerdotes vertiſſe, & Patrem ac Pontificem ſuum ideò bello pulsâſſe, quia non voluit, quod non licuit? Ergo cùm Romam Gallus expugnaverit, Portis Vaticani hæc inſcriptio grandibus litteris incidetur: *Templum Religionis, quod Chriſtus fundavit, Petrus erexit, Pipinus dotavit, Ludovicus deſtruxit?* Non poteſt id fieri, quidquid Galli minentur.

XVIII. *Decimotertiò*, (a) Conqueritur Lavardini Defenſor: *Omnia Pontificios in pejus interpretari. Vocari exercitus paucos illos Clientum & famulorum, qui Lavardinum comitabantur ex decoro tanta* G 7 *Digni-*

(a) Fol. 5.

Dignitatis, quippe Galliæ Legatum. Palatium, quo receptus eſt, arcem appellari. Tintinnabulum, quo horæ, prandia, funera, hoſpitúmque adventus indicatur, pro ſigno erumpendi. Diſciplinam, Ordinémque Domeſticum, pro ſtationibus & excubijs militaribus. Denique ſi Lavardinus Angelus Dei ſit, ſtatutum eſſe eum deformare, ut ſaltem à pueris fatuiſque, quorum ſemper maximus numerus eſt, ſuffragium ferant.

℟. Credo equidem hunc Oratorem cæcis & ſurdis ſcribere voluiſſe, qui nec audierunt, nec viderunt Lavardini ingreſſum; alioquin, quæ rogo fiducia tam nota, tam comperta negandi? Legantur, quæ ſupra de Lavardini in urbem adventu dicta ſunt, evolvantur annales, an ullus unquàm Legatorum ita ad Pontificem, aliúmve Principem ingreſſus ſit: Roma interrogetur, & tota Lavardinum accuſabit, nec ego immorari volo jam ſuprà narratis, & quorum Roma tot teſtes, quot oculos habet.

XIX. *Deci-*

XIX. *Decimoquartò: Conſultiùs facturum Pontificem* dicit, *ſi Eccleſijs Aſyla, non Palatijs adimeret; Eccleſias enim precibus porrigendis inſtitutas eſſe, non protegendis flagitijs.*

℟. Modeſta enimverò petitio, & digna Advocato. Tollantur Eccleſijs Aſyla, & dentur Palatijs; & plus valeat in tuendis reis Lavardini reverentia, quàm Majeſtas Dei. Nec intereſt Templorum Aſyla à Deo in veteri teſtamento, & ab Eccleſia in novo tot ſacris Canonibus, tot ſæculorum decurſu ſancita eſſe; hæc omnia ceſſent, & in Lavardini cultum vertantur. Qui ita diſcurrunt, planè oſtendunt nihil ſibi Religionis ſupereſſe; alioquin ex Aſylis Templorum inferre potiùs contrarium deberent, extinguenda videlicet eſſe Aſyla Legatorum. Cùm enim tot ſint Romæ Aſyla, quot templa, quid opus eſt illa multiplicari tanto innocentiæ paciſque publicæ periculo? & quæ ratio, ut cùm non omnia flagitia ſint ſecura

in

Digitized by Google

in templis, ſint in Lavardini palatio? nec opus eſt præſentem Pontificem à Gallis moneri, ne permittat, ut criminoſi Templis abutantur; qui enim non patitur illos Legatorum ædibus, multò minùs patietur abuti ædibus Dei.

XX. Decimoquintò: *Non poſſunt enarrari ſcandala, quæ ex hac Pontificis duritie in hæreticis naſcuntur; eóſque impediunt, ne veræ Religioni accedant.*

℟. Idem quóque Chriſto objectum fuit: *Scis*, inquiebant Apoſtoli, *quia Phariſæi ſcandalizati ſunt in ſermone hoc.* Non ideò tamen ceſſavit Chriſtus cauſam agere veritatis; imò monentibus reſpondit: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* In quem locum optimè Divus Gregorius: (a) *Inter verba vituperantium ſemper ad mentem recurrendum eſt, & ſi in ea non reperitur malum, quod de nobis narratur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quæ enim debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos eſſe demonſtrat?*

(a) S. Gregor. l. 8. c. 45. ad Pallad. Presbyt.

demonſtrat? habemus Paulum dicentem: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium Conſcientiæ noſtræ. Job quóque dicit: Ecce in Cœlo teſtis meus? ſi ergo eſt nobis teſtis in Cœlo, teſtis in corde, dimittamus ſtultos foris loqui, quod volunt. Quamquam ne hâc quidem excuſatione opus eſt; conſtat enim neminem offenſum, aut ſcandalo affectum eſſe, quòd Pontifex Aſyla ſuſtulerit, quódque à tam ſancto propoſito nullo metu averti potuerit; imò Calviniſtæ etiam ac Lutherani id maximis laudibus proſecuti ſunt. At verò quòd Lavardinus Aſyla invaſerit, quódque Rex Galliæ Pontifici, quem pro Chriſti Vicario agnoſcit, tam ſancta imperanti non acquieverit, & propter umbram inaniſſimi privilegij, ſolíſque Latronibus utilem, Eccleſiam, totámque Europam turbaverit; id enimverò eſt, quòd hæreticos Orbémque Chriſtianum vehementer ſcandalo affecit, quódque tot præclara Gallorum facinora turpi maculâ fœdavit; Regis ergo

ergo Miniſtros & Confeſſarios ſcandali moneri oportuit, non Pontificem Innocentium.

XXI. *Decimoſextò* : (a) Opponit quóque, *exempla Ludovici ſancti, Philippi Pulchri, & Ludovici XII. Regum Galliæ, qui excommunicationes à Gregorio IX. Bonifacio VIII. & Julio II. fulminatas nihili duxêre. Quis ergo prohibeat iſtos imitari?*

℟. Fallitur Lavardinus, ſi credit omnia ſe Regum & Sanctorum exempla imitari poſſe; alioquin & homicidia, & adulteria poterit, quia à Davide commiſſa & ſancto, & Rege; non ergo videndum eſt, quid Reges fecerint, ſed quid lex fieri, omittive juſſerit; lex enim erroris eſt expers, non Principum facta. Et David non ideò ſanctus, quia adulterium commiſit; ſic Ludovicus IX. non ideò inter ſanctos relatus, quia excommunicationem contempſit. Quamquàm multò aliter res ſe habet, quàm hic ſcriptor

(a) Fol. 5.

ſcriptor recenſet. Dicit Ludovicum IX. Galliæ Regem *contemptui habuiſſe excommunicationem, quâ Gregorius IX. in Fridericum II. Imperatorem animadverterat;* citátq; ad marginem Matthæum Pariſium. Sciendum verò eſt, hiſtoriam Pariſienſis etiam Gallorum judicio falſi ſuſpectiſſimam eſſe, in ijs præſertim, quæ Pontifices ſpectant; nam editio Matthæi Pariſij primò ex Bibliothecis Anglicanis prodijt ſub Regno Eliſabethæ *anno 1561.* Poſteà Tiguri iterùm typis impreſſa *anno 1589.* Utrúmq; ex Præfatione ad Lectorem habetur præfixâ Codici Salisburgenſi. Jam Lectori judicandum relinquo, quæ fides haberi debeat libro, quem ex manibus Calviniſtarum habemus, juratis Pontifici hoſtibus: poſſis limpidam ſperare ex tam turbido fonte? (a) Ipſe Maimburgus (cui in deflo-

randa

(a) Maimburg de la Decadence *lib. 2. pag.* 112. Ubi. *Il debite de fables, & des fauſſetez toutes viſibiles .... ridicule digreſſion ... beveüe groſſiere, &c.*

randa Pontificum auctoritate tanta voluptas) fatetur, Pariſienſem *mendacia, fabuláſque palpabiles & craſſiſſimas nugas Lectoribus propoſuiſſe.* Sed multò gravior Maimburgo Spondanus (a) Apamiarum Epiſcopus, & inter præcipua lumina recenſendus Gallicanæ Eccleſiæ, ubi recitâſſet, quæ de Ludovico ſancto Pariſienſis narrat, hæc adjungit: *Hæc diffuse blaterat Pariſius, quæ meras nugas eſſe hominis cerebro laborantis tam nullus dubito, quàm omninò mihi perſuadeo, nullum fore ſanæ mentis, qui putidam ejus narrationem & futilem Dialogiſmum inſpexerit, qui non idem mecum ſentiat, cùm etiam tantæ rei ne per ſomnium quidem ullus prorſus alius Auctor meminerit.* En tibi, quàm nullius fidei ſint, quæ de Sumis Pontificibus Pariſius ſcribit, etiam ex ſententia Gallorum Auctorum! & tamen in cauſa tanti momenti Lavardini Cauſidicus tam levibus teſtimonijs utitur; ſed quid faceret, cùm meliora defuerint? fateor ſanctum Ludo-

(a) Spondan. ad ann. 1223. n. 12.

Digitized by Google

Ludovicum leges aliquas tuliſſe Immunitati Eccleſiaſticæ, ac Cenſuris ab Epiſcopo latis oppidò graves; ſed id fecit Aulicorum conſilijs deceptus; at ubi errorem à Gregorio IX. edoctus eſt, continuò correxit, reſciditque legem reverentiâ Pontificis. Vide inſignem Gregorij epiſtolam, (a) in qua propoſitis Theodoſij, Valentiniani, Caroli Magni Imperatorum exemplis, qui immunitatem Eccleſiaſticam acerrimè protexerunt nullo Majeſtatis dedecore, exemplar adjungit Diplomatis, quo Honorius III. Pontifex anathemate percuſſit, quotquot hujuſmodi leges ferrent, quales Ludovicus. Agnovit continuò Rex ſanctus, correxitque errorem non tam ſpontè, quàm aliorum inſtinctu commiſſum. Illud quóque memoratu dignum, cùm ejus Romam Legatus ab Alexandro IV. diploma retuliſſet, quo poteſtas fiebat nominandi

(a) V. epiſtol. *390.* lib. *9.* & Raynald. ad ann. *1396.* n. *31.*

nandi Paſtores ad vacantia Sacerdotia, Rex ſanctus recuſato privilegio, & Diplomate in flam̃as projecto ad Legatum converſus: (a) *Quod mea negotia Romæ ſtrenuè obieris, laudo: quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo; intelligo enim, quanto cum periculo animæ meæ & Regni hoc ſuſciperem.* Hæc ſunt Ludovici ſancti exempla, quæ oporteret ſuggeri Chriſtianiſſimo Regi: non illa, quæ ab ejus majorũ glorioſis veſtigijs tantoperè abludunt, ejúſq; gloriam & conſcientiam pari damno afficiunt. Quæ de Philippo Pulchro, & Ludovico XII. narrantur, ſilentio potiùs digna ſunt, quàm memoriâ, miróq; Lavardini Cauſidico nullum pudorem eſſe ea recenſendi; nam Philippum quod attinet, conſtat eum in flore ætatis raptum, & ſi credimus Divo Antonino, (b) aliiſque, dum aprum inſequitur, equo excuſſũ. Reliquit tres filios, qui omnes uxorum adulterijs fœdati, fatóque

(a) Spondan. ad ann. 1254. n. 14 (b) Antoninus 3. p. tit. 21. Spondan. ad ann. 1314.

tóque im̃aturo, & ſine maribus defuncti, Valeſijs coronam reliquêre. En tibi quorum Regum & quàm infelicium exempla Ludovico noſtro inculcantur? Ludovici XII. in Julium Pontificem conatus, *peſſimum conſilium, & Chriſtianiſſimi Regis nomine prorsùs indignũ* Spondanus (a) vocat: nec aliud Cœli judiciũ; Ludovicus enim quinquennio poſt infelici morbo abreptus eſt. Abſit à me, ut regnanti Ludovico pares exitus velim. Comparentur Principes, qui Pontificem venerati ſunt, quíque perſecuti; Conſtantinus videlicet, Theodoſius, Pipinus, Carolus Magnus, Philippus II. cum Juſtiniano, Henricis, Fridericis, Philippo Pulchro, aliiſque, & continuò patebit, quorum virtutes, & fortunam precari oporteat Chriſtianiſſimo Regi.

XXII. *Decimoſeptimò:* (b) Opponit Pontificum curas: *Qui prætextu*, inquit, *Religionis rebellium factiones contra legitimum Regem Henricum IV. adjuverunt, id verò nemo unquam probavit.* R.

(a) Spondan. ad ann. 1510. (b) Fol 8.

℞. Verum eſt, nullum unquam Calviniſtarum probâſſe, quæ pro Religione in cauſa Henrici IV. Pontifices egerunt; nec miror ea quóque non probari Lavardini Advocato, qui ſingulis ferè paginis Calvinum redolet. Si rebelles vocandi ſunt, qui non priùs Henrico IV. ſubdi voluêre, quàm hæreſin exueret, verámque Religionem profiteretur, hæc planè culpa aut potiùs calumnia non tam Romanum Pontificem, quàm præcipuas Gallici Regni familias, ac maximè Clerum Gallicanum involvit, qui nunquam adduci potuit, ut Principi Calviniſtæ ſubderetur. Ipſa Gallia Pontifices imploravit, & præſertim Sorbona, ne pateretur Calviniſtam regnare. Audi epiſtolam Perandæ ad Patriarcham & Legatum Cajetanum *anno 1592. die 16. Aprilis. Sorbona hujus ſententiæ eſt, urgétque Pontificem, ut ipſe Regem Galliæ pronuntiet, declarétque; alioquin Gallia conclamata eſt, expérſque remedij. Et eſſe hanc poteſtatem Pontifici Regem declarandi*

Digitized by Google

randi rationibus planè evidentibus, multiſque exemplis oſtendunt, imò adjungunt: ubi Pontifex Regem pronuntiaverit, iſque in Gallia denuntiatus fuerit, continuò & à Clero, & ab omnibus Catholicis receptum iri. Vides quæ ſententia tunc fuerit Cleri Gallicani, omniúmque in Gallia Catholicorum; Galli ergo Pontifices, non iſti Gallos impulêre.

Cæterùm cùm in negotio fœderis Gallici multa contigerint, quæ nunquam Pontifices probârunt; breviter rem totam evolvam, ut tantò clariùs verum à falſo diſtinguas.

Sciendum igitur eſt, cùm edicto *Anni 1576.* Henricus III. Galliæ Rex Calviniſtis libertatem & exercitium Religionis totâ Galliâ, aditum ad omnes dignitates & honores, paritatem Judicum in omnibus Parlamentis, octo urbium poſſeſſionem ſecuritatis causâ, aliáſque conditiones Catholicæ Religioni planè funeſtas permiſiſſet; Catholici tam iniquis pactis offenſi novum fœdus jurârunt

Digitized by Google

fidei tuendæ. Fœderis caput Henricus III. Galliæ Rex. Leges quas fœdus complectebatur, Gregorio XIII. oblatæ, rejectæque ſunt; quamvis enim hæreſin deletam vellet, non tamen factiones Regno fatales probabat. Audi Spondanum: (a) *Gregorium huic fœderi ſuffragatum eſſe, neque ſcripto proditum fuit; neq; ullo alio argumento probari poteſt: quin imò ne tùm quidem, cùm Guiſius apertè ſe detexit, ne dum hoc tempore, Pontificem fœderi faviſſe, ſed ſemper Patrem ſe amantiſſimum & fidum Henrici Regis amicum ſe exhibuiſſe, vel ipſo teſte Serrano, aut ejus Continuatore utróque hæretico, ac proinde Pontificum hoſte apertè intelligitur, cùm ad finem anni 1584. ſcribit, oblatum tunc fuiſſe fœdus Gregorio, ut illud approbaret tanquàm pro Ornamento & propugnatione Eccleſiæ Romanæ conditum; verùm Gregorium annuiſſe quidem, ut contra Hæreticos ageretur, at nequanquàm motus illos populares approbare voluiſſe, ſicq; nuntios inanes dimiſiſſe.*

Certum

(a) Spondan. ad ann. 1576. n. 7.

Digitized by Google

Certum igitur eſt, etiam teſtimonio Hæreticorum, initia fœderis Gallici à Pontifice improbata eſſe; eodémque Spondano teſte, Principes Catholici fœderis nunquàm à Gregorio XIII. impetrare potuerunt, quamvis ardentiſſimè precarentur, ut Regem Navarræ, Condeúmque Principem Duces Calviniſtarum anathemate feriret. (a) Sixtus, qui Gregorio ſucceſſit, Henricum quidem Navarreum Communione fidelium interdixit, Regnóque inhabilem pronuntiavit, nunquàm tamen permoveri potuit (quamvis Hiſpaniæ Rex Philippus ardentiſſimè, & cum minis urgeret) ut fœdus cum Hiſpano adversùs Henricum jungeret, idque Spondanus (b) teſtatur. Cùm tandem Henricus nollet hæreſin ejurare, & maxima Galliæ pars, præſertim Clerus Gallicanus Catholicum Principem vellet; nec leges Regni funda-

H 2 mentales

(a) Spondan. ad ann 1585. (b) Spondan. 1590. n. 5.

Digitized by Google

mentales alium, quàm Catholicum paterentur; Pontifices egregiè partes ſuas egiſſe, ut Henricum metu ſaltem compellerent ad hæreſin deſerendam; reſpondítque effectus: quippe Henricus coronæ anxius maluit hæreſin, quàm Regnum amittere, ſéque Catholicum profeſſus eſt. Continuò ſublatæ diſcordiæ, placati Pontifices, & Gallia Henrico ſubjecta. Si ergo ceſsâſſent Pontifices, néque oportunè tantis malis remedia applicâſſent, & Henricus, & utérque Ludovicus, Filius videlicet Nepóſque; & tota denique Gallia, Regum exemplo hæreſi perijſſet: ſi ergo fateri volumus, Galliam Catholicam Pontifici debemus, ſolíſque hæreticis dolere hoc poteſt.

XXIII. *Decimo octavò:* (a) *Inauditum eſſe*, conqueritur, *ut Legati Principum non auditi, non excepti fuerint, niſi priùs omnia Pontifici cederent; non vi, non imperio cum Principibus agendum, ſed amicis conventionibus:*

(a) Fol. 8.

bus: quoties & Hiſpaniæ & Italiæ Principes Immunitatem Eccleſiaſticam violaverint, non ideò tamen eorum Legatos, aut non agnitos, aut non admiſſos eſſe.

℟. Alia facies eſt aliorum negotiorum, alia præſentis, & de quo agitur. Si enim Pontifex Lavardinum pro Legato habeat, permittátque Aſylis uti, jam Gallis novus actus, & nova poſſeſſio accedit, ſicque nova cavillandi materia: & quando ſemel admiſſos iterùm poſſeſſione deijcias? & quid reliquis Principum Legatis fiet, qui jam Aſylo ceſsêre? Non potuit ergo Pontifex Lavardinum pro Legato admittere, ut non ſimul Aſyla admitteret, jam Decretis, exemplíſque Legatorum damnata; & ſi ſemel Aſyla admitteret in Gallorum gratiam, nulla ſpes ampliùs illa extinguendi infinito Boni publici damno, ſcandalóque fidelium. Cùm ergo Lavardinus & Legatum ſe ferret, & nollet Aſylis cedere, idem erat pro Legato agnoſcere, quod causâ cade-

Digitized by Google

re; non ita in alijs negotijs: cùm enim, exempli causâ, Legati ab Hiſpanis, Italíſve Principibus mittuntur, violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ reis; non ideò mittuntur, ut pergant ſub oculis ipſius Pontificis, apertóque contemptu idem crimen repetere; ſed ut excuſent, aut deprecentur, aut aliorum negotiorum causâ. Non ita Lavardinus, cujus ingreſſus, & mora non potuit cum majori contemptu, injuriáque conjungi præſentis Pontificis; ſuprà quóque oſtendi, apud omnes Nationes receptum eſſe, ex ſimilibus, aut etiam levioribus cauſis Legatos non admitti.

Jactat quidem Lavardinus: *Secretas inſtructiones Pontifici gratiſſimas ſe afferre.* At veniâ ipſius dixerim, quis credat meliora eſſe, quæ latent, quàm quæ monſtrantur? cùm ex adverſo ſoleant Galli piſcantium more eſcam foris oſtendere, hamum intùs celare. Sed quidquid ſit, non debuit Pontifex ſpe cujuſcúnque præmij tot abuſus per-

permittere, quot ex Aſylis naſcuntur, nec mercatui exponere impunitatem peccandi.

Decimononò: (a) Miratur Lavardini Advocatus, *Pontifices Romanos tam ſeverè in Gallos agere, tam indulgenter in Hiſpanos, cùm ab iſtis injurijs, & ab illis tot beneficijs affecti ſint.*

℟. Non eſt mearum partium, Hiſpanorum, Gallorúmque in Romanam Sedem beneficia conferre: nemo negat multa Pontifices Gallis debere, ſed & Gallos quóque multa Pontificibus. Exempla etiam Sixti V. eorúmque præcipuè Pontificum, qui in Gallias ſedem tranſtulêre, ſatis oſtendunt, non eſſe in Hiſpanos tantam indulgentiam, quantam Galli declamant. Sed quidquid de alijs ſit, ego ſolius Innocentij cauſam ago, nec ulla mihi de alijs cura. Innocentium verò eodem jure cum Hiſpaniæ Legato egiſſe, quo cum Galliæ, imò omnibus egit, notiſſimum eſt; nul-

(a) Fol. 9.

lum enim iſtorum aliâ conditione Romam admiſit, quàm ut Aſylis cederet. Intempeſtiva ergo, imò injuſta querela eſt partialitatis Innocentium in ea cauſa poſtulantis, in qua conſtat pari, eodémque jure in omnes expertum eſſe.

XXIV. *Vigeſimò*, (a) Adjungit: *Mirum non eſſe, ſi Lavardinus eas cenſuras moratus non ſit, quas inutiles, imò pernicioſas experientia, & Sixti V. Bulla ſatis oſtendunt.*

℟. Sic omninò Lutherani & Calviniſtæ philoſophantur. Si velit hic Gallus cenſuras univerſim curandas non eſſe, hæreſis eſt, nec calamo punienda. Si velit tunc excommunicationem metuendam non eſſe, cùm injuſta eſt, aut ab eo lata, cui nulla auctoritas ferendi; verum dicit, ſed nihil ad rem noſtram. Si verò contendat, juſta an injuſta ſit excommunicatio, non ex conſcientia Judicis pendere, qui ſententiam dixit, ſed

(a) Fol. 9.

ſed ex arbitrio rei, qui punitus eſt, adeò ut ſpernere excommunicationem poſſit, ſéque illi non ſubdere, quoties injuſtam cenſuerit; nihil dici potuit aut imprudentius, aut injuſtius: quando enim ſe reus puniri patietur, ſi ejus arbitrio, & non Judicis ſedeat, de juſtitia aut injuſtitia pœnæ judicare? nec pœnâ teneatur, quoties injuſtam cenſuerit, aut ſaltem, quoties injuſtam dixerit? aut quis reus non dicet ſe injuſtè damnatum, ſi hoc ſufficiat pœnæ evadendæ? & quis credat tam malè inſtitutam à Chriſto Eccleſiam, ut voluerit valorem pœnæ ex arbitrio, judicióque rei pendere, id quod in nulla Republica, quamvis Barbara valuit, valebítque? Verum igitur eſt, neminem ligari poſſe injuſtis cenſuris; ſed æquè verum, juſtæ illæ, an injuſtæ ſint, ad judicem, ut cognoſcat, non ad reum pertinere: nihil ergo Lavardinum, ejúſque Adulatores juvat, quidquid opponunt de injuſtitia cenſurarum.

Sed quid ſi Pontifex injuſtè excommunicatione aliquem plectat? numquid illâ tenebitur?

Eadem quæſtio de quolibet Principum excitari poteſt: quid ſi enim Rex Galliæ injuſtè aliquem ad carceres damnet, numquid tenebitur carceres ſubire? Si dicas non teneri, modò conſtet omnium judicio de ſententiæ iniquitate; non verò ſi ſolus Reus, ejúſve amici iniquam eſſe querantur. Idem ego de Pontifice & Lavardino, iſto Reo, illo Judice dicam. Sicut enim ſententiæ Chriſtianiſſimi Regis nullius judicio ſubduntur, mutaríque non poſſunt, quia Galliæ Monarcha eſt; ita néque Pontificis, quia Monarcha Eccleſiæ. Sed audi Pontificis Gregorij Magni elegantem doctrinam: (a) *Sub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ ſolvere vel ligare debent; ſed utrùm juſtè an injuſtè obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is, qui ſubeſt, & cùm injuſtè fortè ligatur, ipſam obligationis ſententiam ex alia culpa*

(a) S. Gregor. Magnus hom. 20. in Evang.

Digitized by Google

culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere temerè vel ligare vereatur. Is autem, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel injuſtè, nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat, ne etſi injuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumida reprehenſionis ſuperbia culpa, quæ non erat, fiat.

Quod verò adjungitur: *Conſtare experientiâ, excommunicationes noxias eſſe, maliſque eventûs.*

Reſpondeo hanc eſſe omnium rerum mortalium conditionem, ut proſint, noceántque, utcunq; utenti libuerit: nec eſt aliquid tam ſacrum, quod abuſus non lædat. Idem de excomunicationibus dicas, quæ multis profuêre, ut Theodoſio Magno, Carolo Magno, Henrico Magno; nec ullus iſtorum ideò magnus non fuit, quia Sacerdotibus paruit; nec minus Principum animæ quàm corpora remedijs ſubduntur, quoties ægrotant nullo damno Majeſtatis. Quòd ergo aliquando excommunicatio nócuerit, non remedij, non medentis hæc culpa, ſed ægrotantis fuit.

Quanta ſeries malorum ex bellis naſcitur? num ideò tamen Ludovicus Galliæ Rex bello abſtinuit, quo Belgium, Auſtraſiam, Alſatiam vaſtavit tanto impendio ſanguinis Chriſtiani? quòd ſi dicant, multa eſſe mala, quæ ex bellis, armíſque proveniunt, ſed multò plura fore, ſi bellare non liceat. Idem ego de Cenſuris, armíſque Eccleſiaſticis dicam, quibus ſi metu mali uti non poſſis, multò pejora evenient; quippe omnia Principibus licebunt, éſtque ampliſſimum in Gallijs exemplum, ubi Religio perierat, niſi vibratis Cenſuris, metúque Regni amittendi Henricus Magnus hæreſin exuiſſet.

Sed nimius ſum, cùm rebus tam claris probandis, & totâ Eccleſiâ, ſempérque receptis conſumor. Fecit Innocentius, cùm Lavardinum excommunicavit, quod Symmachus, quod Innocentius, quod Hadrianus, quod Ambroſius, quod alij Pontifices, Patréſque fecerunt. Faciat Lavardinus, quod

quod Arcadius, quod Carolus Magnus, quod Theodoſius aliique Imperatores, hoc eſt, pœniteat, ſéque Pontifici ſubdat, nec erubeſcat poſt tot Imperatores culpam fateri. *Stravit*, inquit de Theodoſio Ambroſius, (a) *omne, quo utebatur, Regium inſigne: deflevit in Eccleſia publicè peccatum ſuum, quod ei aliorum fraude obrepſerat; gemitu & lachrimis oravit veniam; quod privati erubeſcunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam: nec ullus poſteà dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Utinam Lavardinus imitetur.

XXV. *Vigeſimoprimò:* (b) Laudat Advocatus Lavardini, Pontificis Innocentij ad Deum, preces: ſed negat iſtas in rebus agendis ſufficere: *Audienda eſſe ſapientum Conſilia, interrogandos Canones, & ex horum præſcripto, non ex privatis inſpirationibus ſæpè fallacibus Bullas texendas eſſe. Si hæc Innocentius præſtitiſſet, nuperum contra Legatorum immunitates*

H 7 *Diploma*

(a) S. Ambroſ. Orat. funeb. in Theodoſ.
(b) Fol. 10.

Digitized by Google

Diploma vulgatum non fore. Suffragia Cardinalium Bullæ adſcripta ſubreptitia & extorta eſſe, nunquam enim Bullam fuiſſe Cardinalibus exhibitam. Clauſulam & formulam illam Bullæ inſertam videlicet, de conſilio & conſenſu fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium illuſoriam eſſe, nec ex vero appoſitam, ſed ſtilo Cancellariæ.

℟. Fateor, cùm hunc hominem de Orationibus, de Inſpirationibus, déque ſacris Canonibus diſputantem audio, non magis riſu abſtinere poſſe, quàm olim Apelles, cùm ſutorem de Helena differentem. Quid enim in domo Lavardini minùs curatur, quàm ſacri Canones, Orationes, ſanctæque Inſpirationes? & cujus rei major, quàm iſtius ignorantia? Conſultius ergo tacere, quàm ignota narrare.

Cæterùm quid dici poſſit inverecundius, quàm non auditos eſſe, non conſenſiſſe Cardinales, nec Bullam eis communicatam; cùm tot Cardinalium nomina & ſuffragia ſint Bullæ

Bullæ adſcripta? num ergo velatis oculis ſubſcripsêre? Nihil planè de tam ſacro Collegio, tótque egregijs Senatoribus dici poteſt indignius, quàm aut non vidiſſe, aut non perpendiſſe rem tanti momenti, & cui ſubſcribebant; nam quod dicitur: *Extorta fuiſſe ſuffragia*; nimis nota calumnia eſt: quî enim Innocentius extorſit? vi, metu, an dolo? at hæc omnia nimis aliena à Moderni Pontificis moribus, nec ullus Cardinalium de vi aut fraude conqueſtus, cùm tamen omnes ſubſcripſerint, Eſtreo & Maidalchino exceptis.

Nec dici poteſt, nimis feſtinatum eſſe; cùm conſtet jam primis annis Bullam fuiſſe conceptam, & undecim annorum ſpatio maturatam, idque toties Regi Chriſtianiſſimo inſinuatum, & ab Iſto, Ejúſque Miniſtris Pontifici promiſſum eſt, in Gallijs quoque receptum iri aliorum Principum exemplo. Quot annis ergo opus eſt, ut maturum conſilium dici poſſit, ſi undecim

Digitized by Google

decim non ſufficiunt ? Quamquàm & injuſtitia Aſylorum tam clara & omnibus nota, ut nec Theologis, nec conſilijs, nec annis opus fuerit ad eam oſtendendam.

Paucas infra lineas redit Auctor ad ipſam querelam videlicet : *Sapientiſſimos quóſque S. Collegij non admitti ad Pontificis conſilia, quibus nunc Europa turbatur.*

Ænigma videri poſſit, quos Gallus intelligat ijs verbis : *Sapientiſſimos quóſque.* Conſtat enim Bullæ contra Aſyla Cardinales Cibum, Ottobonum, Caſſanatam, Columnam, Azolinum, Pium, Chiſium, Medici, Norfolcium, alióſque ſubſcripſiſſe, Eſtreo tantùm & Maidalchino exceptis ; oportet ergo Eſtreum & Maidalchinum ſolos inter *ſapientiſſimos* reponi ; at ego hactenùs credebam ſolos non eſſe.

XXVI. *Vigeſimoſecundò :* (a) Conqueritur, *Pontificem Innocentium ex conſilijs pendere Religioſorum ignorantium, rerúmq; mundi expertium ; nec non Prælatorum minoris*

(a) Fol. 10.

minoris ſortis, quibus unica cura genio Pontificis adulari, à quo extolli momento poſſint.

℟. Quæ de *Religioſis ignorantibus, minutiſque Prælatis* notâ Advocatis modeſtiâ declamantur, longâ refutatione non egent. In cauſa Aſylorum conſilia cum Religioſis collata non credo, ſaltem me latet; nec opus erat, re toties, & à tam multis Pontificibus jam olim decisâ. In causa verò Regaliæ, & quatuor Propoſitionum Conventûs Pariſienſis, ſcripsêre quidem Religioſi ſolito more, quippe jam à primis Eccleſiæ annis ea pars Religioſis ſervata, ut veritati ſuccurrerent, quoties impugnabatur. Fecerunt ergo Religioſi, quod ſemper factum, & quod debebant. Ceterùm an ignorantes illi ſint, ex libris, quos ſcripſerunt, agnoſcas; illi teſtimonium dicent, quinam poſtulari ignorantiæ debeant, qui Regi, an qui Pontifici ſerviunt. Planè nemo totâ Galliâ repertus eſt, qui hiſce ignorantibus reſpondere ſit auſus,

Digitized by Google

ſus, aut qui potuerit; adeò veritas prævaluit, & æquitas cauſæ. Quòd ſi velint, ideò Religioſos, qui pro veritate ſcripſerunt, ignorantes eſſe, quia ſcientiam Principibus adulandi non callent, & quam Gregorius Magnus egregiè depinxit; verum dicunt, fateórque ignorantiſſimos eſſe, nullóque modo cum aulicis Lavardini, aut cum Regis Confeſſario poſſe comparari. Sic verò illam Gregorius deſcripſit: (a) *Deridetur juſti ſimplicitas. Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare: hoc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt. At contra ſapientia juſtorum eſt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, falſa devitare, pro veritate contumeliam lucrum reputare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio fatuum reputatur.*

Quæ

(a) S. Gregor. lib. 10. moral. c. 16.

Quæ de *Minutis Prælatis* dicuntur, eos videlicet ſpe præmiorum Pontificis genio adulari, neſcio quem feriant; credo enimverò nullum in palatio Pontificis morari tam minutum Prælatorum, qui non pluribus æquivaleat Lavardini ſpatharijs, & quot faſces Advocatorum, quótque Talonij ſufficient, ut unum ex minutis hiſce Prælatis componant? Multò minùs conſtat mihi, quâ illi ſpe ducantur; illud certum eſt, nemini hactenùs, qui in Regaliæ & quatuor propoſitionum conflictu cauſam veritatis egerunt, meliorem fortunam proveniſſe, aut à Pontifice auctum eſſe, ſi Cardinalem Aguirre excipias, cui excellens doctrina exemplo Baronij, Bellarmini, Cajetani, aliorúmque Purpuram meruit: ego ſi pro lucro, non veritate certandum ſit, malim Pariſijs operam locare, quàm Romæ, ſpem enim provocarent Maimburgi exempla, ac præſertim Regij Confeſſarij, cujus familia ex tenui & arida, (a)

da, (a) adeò opibus aucta eſt, ut pretio ducenties millium Francorum excubias Regij Palatij coëmerit, præter alia nec pauca emolumenta. Tanti videlicet pretij eſt Theologia aulicis grata: nihil ſimile Roma.

Paria ferè ſunt, quæ in ſua Apologia Miniſtris Pontificijs Lavardinus objecit, videlicet: *Omnium contentionum, quæ Pontificem inter, Regémque agitantur, cauſam temeritati ac inſolentiæ Miniſtrorum adſcribendam eſſe, qui ob Pontificis defeſſam annis, morbíſque ætatem, negotijs admoti illius gratiâ abutantur, Galliáq; turbandæ omnem lapidem moveant.*

Ita placuit Lavardino loqui, qui ſpecie humanitatis tunc maximè Pontificem arguit, cùm maximè excuſat. Quid enim pejus de Principe dicas, quàm quòd Miniſtris utatur temerarijs, inſolentibus, ac hoſtibus publicæ pacis, & iſtis non molem tantùm Principatûs, ſed etiam animum

(a) Capitanno della Porta del Louure.

mum ac gratiam ſuam committat? Planè ingentia cogitanti, quæ in componenda diſciplina Eccleſiaſtica, in abuſibus corrigendis, in profligandis hæreſibus, ac præſertim in Turcico imperio propè ad internecionem úſque delendo, à Moderno Pontifice feliciſſimè peracta ſunt, adeò ut hac in re non omnium tantùm retrò Pontificum memoriam, ſed etiam omnium mortalium ſpes & vota ſuperârit; oportet, inquam, ingenuè fateri, Miniſtros Innocentij non temerarios, non inſolentes eſſe, ſed tales, quorum merita Galli imitentur, ſéque felices ducant, ſi aliquam tantùm partem eorum gloriæ ac virtutis conſequi poſſint; nam quòd ijs odium Gallicæ Nationis Lavardinus objicit, compertum eſt, non poſſe odij accuſari in ea cauſa, quæ non ſolos Galliæ, ſed omnium Regnorum, Principúmque Legatos tangit, & quorum nemo hactenùs conqueſtus eſt, ſibi injuriam fieri. Nulla ergo

in

Digitized by Google

in cauſa tam juſta, támque omnibus probata Miniſtrorum Pontificis culpa, ſed eorum tantùm, qui contra omnium Principum exempla retinere potentiâ volunt, quod jure non poſſunt, alióſque injuriæ ac odij poſtulant, qui ſua, imò qui Chriſti patrimonia uſurpari non ſinunt.

Quamquàm quid fruſtrà ego excuſandis Miniſtris laboro, quando nemini compertum non eſt, hodiernum Pontificem nunquàm ex Miniſtrorum conſilijs pependiſſe, ſed conſcium poteſtatis, ac muneris ſui, ac præſertim cæleſtis patrocinij, rebus lentè diſcuſſis omnia arbitrio ſuo ac prudentiâ metiri, nec alijs imperandi, ſed obſequendi munus relinquere, adeò ut ſi quæ culpa eſt, ſoli Pontifici adſcribi debeat, rerum omnium, quæ fiunt, & conſcio, & arbitro; quamquàm nec culpa, nec imprudentia dici poteſt, quod tanto tempore, támque maturis conſilijs, aſſenſúque totius ferè ſacri Collegij, imò totius

Orbis

Orbis terrarum, ſi paucos Gallorum excipias, probatum, deciſúmque eſt. Cæterùm ex hoc quóque Lavardino ignoſci poteſt, quando Romam nuper ingreſſus nec Pontificis mores, nec integritatem Miniſtrorum ſatis compertam habuit, & ideò utróſque ex aulæ genio æſtimavit.

XXVII. *Vigeſimotertiò:* (a) Ingenti & magnificâ Digreſſione à Legatorum Aſylis ad Conventûs Parſienſis Propoſitiones converſus: *Ignorantiſſimos eſſe*, dicit, *qui Declarationem Pariſienſem novitatis accuſet, cùm conſtet, antiquiſſimam eſſe Gallicanæ Eccleſiæ ſententiam. Quòd ſi privati aliqui Doctores, aut etiam ipſæ Synodi Gallicanæ, ut illæ anni 1614. & 1615. contrarium docuerint, reliquias fuiſſe infortunati illius fœderis, quod Ligam vocant; tunc enim Pontificis emiſſarios alienis doctrinis Galliam imbuiſſe; ac præſertim Cardinales Jojoſam, Peronium, Surdium: Ducéſque ac Mareſcallum Guiſium Majenium, Eſpernonium, & Ancreum conatos eſſe Parlamentum,*

(a) Fol. 11.

mentum, ac facultatem Theologicam pervertere, ſed nunquàm potuiſſe. Antiſtites, qui Pariſienſi ſynodo interfuêre, & merito eminentis doctrinæ, & Zelo Religionis, & converſione tot hæreticorum (quos invictis rationibus domuerunt) tantum ſibi famæ comparâſſe, ut ſufficiat illorum auctoritas ſuſtinendæ nuperæ Declarationi, ac hominibus perſuadendis nullo privato affectu præventis. Ex adverſo nuper ad purpuram promotos multò inferiori merito eſſe, nulláque re aliâ commendabiles, quàm odio Gallorum, vaſtíſque voluminibus, quæ fabulis, vaníſque ac millies refutatis rationibus infarſerint.

℟. Sic ſolent victi: mordent & lacerant, cùm arma perdidêre. Ignorantiſſimos dicit, qui nuperam Declarationem Conventûs Pariſienſis novitatis accuſant. At lubeat Lavardino, ejúſque Miniſtris ea perlegere, quæ à Cardinali Aquirre, & Auctore Galliæ Vindicatæ ſcripto vulgata ſunt, videbítque Pariſienſem Declarationem tam alienam eſſe à Patrum, ac præſertim Eccleſiæ Gallicanæ

doctrina,

doctrina, ut nihil magis; nec mihi quæ illic dicta ſunt, & quibus Galli reſpondere nihil poſſunt, repetere animus eſt, quippe in alio argumento verſamur. Perronij & Richelij Cardinalium doctrina, & in Galliam merita mundo notiora ſunt, quàm calumnijs obſcurari poſſint; & quis in nupero Pariſienſi Conventu ſedit, qui cum Perronio & Richelio poſſit comparari?

Et illud quóque riſu dignum: *Perronij, & Galliæ ſynodorum doctrinam reliquias fuiſſe fœderis Gallijs infauſti.*

Nimirum Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Lateranenſe, Lugdunenſe, Ferrarienſe Concilia: ſancti quóque Cirillus, Athanaſius, Cyprianus, Damaſus, Bernardus, Antoninus, Bonaventura, Thomas, aliíque Patres, qui Pariſienſi declarationi adverſantur; reliquiæ dici poſſunt fœderis ſacri. Illud verius dixiſſent, Religionem Catholicam reliquias eſſe fœderis

 ſacri,

ſacri, niſi enim hoc eſſet, nunquàm Henricus, nunquàm Henrici filij, Nepóſque, ſicque nunquàm Gallia hæreſin exuiſſet.

Quod additur de doctrina Galliæ Epiſcoporum, parùm intereſt meâ, docti an indocti fuerint, qui Pariſijs ſederunt; nam & Neſtorius, & Arius, & Calvinus docti fuêre. Plures in Gallia fuiſſe, qui purpuram ambierint, credo: plures meruiſſe, quàm qui nuper promoti, ignoro; Pontificis judicium fuit, qui tamen nec Galliam omiſit, quamquam non illos elegerit, quibus major cura tantam dignitatem optandi, quàm merendi. Nec ob libros eruditiſſimè ſcriptos alium quàm Cardinalem Aguirre evectum ſcio. Nullum huic in Gallos odium, ſed unus amor veritatis, & hæc tam invictè probata, ut nihil Gallis occurrerit, quod reſponderent; tam etiam modeſtè propoſita, ut habeant Adverſarij, quod imitentur: ſed cùm nec imitari modeſtiam velint, nec reſpondere

ſpondere rationibus poſſint, ad convitia & injurias appellant, & molem libri accuſant, cùm opprimuntur mole veritatis.

Auctoritatem quod attinet Conventûs Pariſienſis, nullius planè momenti eſt.

Nam *primò* conſtat, Patres, qui huic Conventui aſſederunt, alios odio & vindicandi cupidine; alios metu corruptos fuiſſe. Repetantur memoriâ, quæ Pontifex contra Regaliam, próque libertate Gallicanæ Eccleſiæ fecit, & ex adverſo quàm iniquis animis à Galliæ Epiſcopis (quorum tamen cauſa agebatur) ac præſertim Tholoſano & Pariſienſi Archiepiſcopis accepta fuerint, & quàm ſæva ab illis perſecutio ſecuta. Relegantur etiam, quæ ipſi Galliæ Antiſtites litteris (a) ad Pontificem datis de ſuo metu profeſſi ſunt, quæque illis Pontifex reſpondit; & continuò patebit, verum eſſe, quod dixi, in Conventu Pariſienſi

(a) Anno 1682.

Digitized by Google

ſienſi omnia odio , metúque agitata eſſe. Et quid boni ſperes , ubi odium præſedit, metúſque ſubſcripſit ? & quoties experimur, etiam ſapientiſſimos hominum, quoties his affectibus rapiuntur, multa facere & dicere, quorum ipſos pœniteat, aut ſaltem pudeat ? Nota ſunt Tertulliani, Origenis, Luciferi, Photij aliorúmque exempla.

Secundò. Nulla Conventui Pariſienſi facultas contra omnium Patrum, Conciliorum, ac præſertim Gallicanæ Eccleſiæ ſententiam aliquid ſtatuendi. Qui enim Conventus Pariſienſis, ut cum tota retrò Gallicana Eccleſia comparari debeat ? quantóque minùs tot Concilijs & Patribus præferri ? aut ſi auctoritas & doctrina te movet, cur non magis movet, tot Patrum, tot Conciliorum, imò Eccleſiæ totius, quàm paucorum, quos odium, metus, vindicta, adulatio perverterant ?

Tertiò. Et quid miraris Pariſienſem

Con-

Conventum errâſſe, quando conſtat ob ſimiles ferè cauſas Antiochenſe, Ariminenſe, Epheſinum ſecundum, & alia Concilia errâſſe, in quibus longè major & numerus, & doctrina, quàm in nupero Pariſienſi: & quis neſcit etiam hæreticis ſuos Conventus & ſynodos eſſe, in quibus fortè non minor doctrina quàm Pariſijs, ſi hæc ſufficeret: non ergo ab iſtis veritas quærenda, ſed ab illo, cui Chriſtus dixit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Quartò. Adde & Regaliæ, & quatuor Propoſitionum cauſas ad majores, imò maximas pertinere, quæ etiam Gallorum teſtimonio ſoli Pontifici reſervantur; hic ergo ſolus & unicus Judex; at plus valet, magiſque obligat unius Judicis ſententia, quàm mille aliorum judicia, quibus nulla auctoritas decidendi. Denique certum eſt, & alibi, invictéque probatum, Concilia à Pontifice improbata nullius eſſe auctoritatis; quantò ergo

Digitized by Google

minoris auctoritatis Conventûs Pariſienſis decreta? Poterit ergo Epiſcopis Pariſienſibus ab Innocentio repeti, quod olim Ariminenſibus à Damaſo dictum eſt: (a) *Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini* (Pariſijs) *congregati, præjudicij vim habere non debent, præſertim cùm formula illa concepta ſit, néque Epiſcopo Romano* (*cujus ante omnia ſententia expectanda erat*) *néque alijs ei conſentientibus.*

Vigeſimoquartò: Multa ſubdit de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quas negat Pontificum privilegijs deberi. Sed cùm hoc nihil pertineat ad præſens argumentum, ſitque integris libris confutatum, alto Gallorum ſilentio, nihil habeo quod addam, præter illud Apoſtoli: (b) *In libertatem vocati eſtis fratres; tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

XXVIII. *Vigeſimo quintò:* Negat Leges, Bulláſque à Pontifice latas ad Principum Oratores, eorúmque domus

(a) Theodor. l. 2. c. 22. (b) Ad Galat. 5.

mus, & viciniam, ſeu quarterium extendi poſſe. (a) *Legatum enim Perſonam Principis, ejúſque ſupremam, & independentem auctoritatem repræſentare; ædes Legati, eſſe ædes Principis, nec proinde Pontificis legibus comprehendi. Hæc Lavardino comperta, & ideò nihil Innocentij Bullæ deferre potuiſſe.*

℞. Si hæc ita habent; ergo non ſolùm Romæ Regijs Legatis jus Aſyli & Quarterij, ſed omnibus Principum Legatis, & in omnibus aulis competet, ac præſertim Pariſijs Legato Pontificis. Hic enim eâdem ratione, quâ Lavardinus cauſari poterit: ſe Pontificis ſupremam & independentem auctoritatem referre: ædes ſuas, ædes eſſe Pontificis, nulliſque Regijs Legibus ſubjacere, nec à Regijs ſatellitibus viciniam ſuam percurri poſſe. Quæ omnia ſi nec Pariſijs, nec alibi locum habent, cur habeant Romæ? an verò ſoli Galliæ Legati Principem ſuum repræſentant?

(a) Fol. 13.

tant? Et ſi eſſe Galliæ Legatum eſt Legitimus titulus Aſyla & Quarterium obtinendi, cur hoc tantùm Romæ, & non alibi Gentium? Certum igitur eſt omnium Principum Gentiúmque exemplo, Jus Aſyli & Quarterij ſaltem extra proprias ædes, multóque magis in tota vicinia Legatis Principum nec deberi, nec dari; malè igitur à Lavardino petitur titulo Legationis.

Taceo Lavardinum Legatum non eſſe, cùm ut ſæpè repetitum, non ſolius mittentis conſenſus Legatos faciat, ſed etiam Principis, ad quem mittitur.

Taceo in nupera Innocentij Bulla non contineri Legem verè humanam, ſed Divinam & naturalem (cui omnes non tantùm Legati, ſed etiam Principes ſubduntur) videlicet: *Non invadendi, nec retinendi aliena Domino invito.*

Taceo denique Legatos etiam agnitos, receptóſque multis ex cauſis remitti poſſe, præſertim cùm hoſtilia molium-

moliuntur, alienam Juriſdictionem invadunt, aut invasâ abſtinere nolunt, cúmque Principi, ejúſque Miniſtris Juſtitiæ inſultant, ut nuper Lavardinus.

XXIX. *Vigeſimoſextò:* (a) Obijcit Poſſeſſionem immemorialem.

℞. Hoc unicum eſt argumentum, quo decipi ſolent ſimplices, rerúmque ignari; & tamen inſtar aliorum planè vaniſſimum: imò tantum abeſt, præſcriptionem obtendi poſſe, ut potiùs hoc ipſum jus immunitatis & Aſyli pro exemplo ſerviat rerum impræſcriptibilium; adeò ut ſi in ſcholis Juris-Conſultorum quæratur: *Quodnam ſit paradigma rerum, quæ nunquam præſcriptæ ſunt, & nunquam præſcribi poſſint?* Reſpondere debeat: *Jus Aſyli à Lavardino Romæ petitum*; in hoc enim uno omnes defectus Præſcriptionis conveniunt.

Piget me ad iſta devolvi, ſed poſtquàm Gallus hoc argumento uti voluit,

(a) Fol. 14.

luit, in eóque ſummam rei collocare, non poſſum ſilere. Nego ergo hoc jus Aſyli à Gallis præſcriptum eſſe, aut aliquando potuiſſe præſcribi.

Nam *primò* Præſcriptio non eſt Divini aut naturalis, ſed humani juris, ac civili lege inducta. Unde ſi ſupremus Princeps, qui Civili Lege non tenetur, declaret ſe nolle, ut res aliqua intra ſuum Principatum præſcribatur, certum eſt præſcribi non poſſe. At Pontifices Romani à Julio III. uſque ad Modernum Pontificem ſemper & factis, & ſeveriſſimis Legibus profeſſi ſunt, nolle ſe, ut hujuſmodi immunitas tanquàm publicæ quieti, Gentium juri, humaniſque commercijs adverſa præſcriberetur; non ergo præſcribi potuit.

Secundò. Tota & unica ratio, ob quam Præſcriptio admiſſa eſt, illa fuit; ne jura & Dominia rerum incerta eſſent, ſi multis annis, quietéque ab aliquo poſſeſſa reſtitui deberent. At hæc ratio in noſtro caſu

locum

locum non habet: nec enim incertum eſſe poteſt, ad quos pertineat jus capiendi, puniendíque reos in tota Romana urbe, & locis à Lavardino prætenſis; cùm certiſſimum ſit ad Romanos Pontifices pertinere, ab ijſque ſemper exercitum, ut ex Archivijs, Protocollis, communi totius urbis teſtimonio, ac confeſſione etiam Gallorum conſtat, quod ſuprà oſtendimus, cùm de Piſana conventione ageretur.

Tertiò. Ad præſcriptionem requiritur bona fides in legitimo aliquo titulo ſive vero, ſive præſumpto fundata, adeò ut ſublatâ bonâ fide, ne mille quidem annorum poſſeſſio præſcriptionem pariat; idque ut Præſcriptio à furto & rapina diſtinguatur: at in noſtro caſu, quæ bona fides, quíſve legitimus titulus aut eſſe, aut præſumi poteſt, quando Summi Pontifices legitimi iſtarum rerum & unici Judices toties & tam enixè publicíſq; edictis hæc Aſyla prohibuère, imò abuſum

appellârunt *abominabilem, deteſtandum, publicæ pacis perturbativum, fomitem rebellionis, peſſimi, valdéque pernitioſi exempli, rem enormem, nimiam corruptelam, auſum temerarium, abominabile & deteſtandum nomen*, fierine, inquam, poteſt, ut bona fides ac legitimus Titulus eſſe vel præſumi poſſit, in rebus, quas ex Principis edicto conſtat, *abominabiles, enormes, deteſtandas eſſe, &c.* Quod ſi nec bona fides, nec titulus Legitimus, ergo nec Præſcriptio.

Quartò. Certum quóque eſt, ſine continuata & nunquam interrupta poſſeſſione nec eſſe, nec concipi poſſe ullam Præſcriptionem; imò hæc nihil aliud eſt, quàm continuatio Poſſeſſionis. At in argumento, de quo agimus, quî fieri poteſt continuatam fuiſſe Poſſeſſionem, quando ab omnibus Pontificibus tot edictis, tot actibus, exempliſque in contrarium editis abrupta & truncata eſt, quoties micare & prodire auſa? Quis

vocet

vocet adultam, quæ toties in cunis oppreſſa, quoties nata?

At Legati ſæpè conati ſunt hanc immunitatem ſibi vendicare, imò aliquandiù eá uſi ſunt.

℞. Aliud eſt conatus & factum; aliud præſcriptio; ſi conatus & facta ad præſcriptionem ſufficiant, jam dudum patrocinio Præſcriptionis homicidia, adulteria, perjuria & omnia flagitia liceant, quæ multò pluribus conatibus, exemplíſque, quàm immunitates Lavardini nituntur.

Quòd ſi dicas: *Hæc juri Divino & naturali adverſari, & ideò præſcribi non poſſe.*

Reſpondebo non minùs eſſe juris naturalis, Diviníque hæc præcepta, quæ pro baſi totius Juris-prudentiæ Juſtinianus poſuit videlicet: *Neminem lædere, jus ſuum unicuique tribuere;* quæ palàm eſt violari uſurpato à Legatis jure Aſylorum, quæ enim major læſio & fraudatio juris alieni eſſe poteſt, quàm ſupremum Principem & Pontificem magnâ parte Juriſdictionis in Urbem Romanam privare,

vare, & flagitijs, ne deleri poſſint, patrocinium præſtare paratâ impunitate?

Quintò: Æquè certum eſt, quæ juri publico, & communi quieti repugnant, nullo tempore præſcribi; at verò quid magis repugnat, quàm hoc Aſylorum jus, quo datâ flagitijs ſecuritate & licentiâ, neceſſe eſt publicam quietem proſcribi. Ipſi Galli, quando contra Jus Regaliæ longiſſimam Poſſeſſionem, ac ſuprà omnem memoriam pro Eccleſijs allegari audierunt, quid aliud & ſæpiùs reſpondêre, quàm juribus ad Coronam & Principatum pertinentibus præſcribi non poſſe? At verò jus crimina puniendi multò magis Coronæ, ſupremæque auctoritati añexum eſt, quàm jus Regaliæ: nam ſine hoc poſſunt Regna & Principatus conſiſtere, imò ſi Galliam excipias, nullum Regnum hoc jure potitur; non verè conſervari Regna poſſunt ſine auctoritate neceſſaria puniendi ſceleratos; id enim

enim ad publicam quietem & pacem pertinet, cui promovendæ Principatus inſtituti ſunt.

Sextò. Denique Præſcriptioni complendæ tempus neceſſarium eſt; nec enim quovis die aut anno aliena jura præſcribi poſſunt: ſed contra privatarum Eccleſiarum jura quadraginta annorum tempus neceſſarium eſt: contra verò jura Romanæ Eccleſiæ centum añorum. At Legati, quamvis cum alijs urbis Magnatibus uſurpare hoc jus jam Julij III. ætate conati ſint, eo tamen ſemper expulſi, coactíque cedere, liberâ juſtitiâ & omnibus locis exercitâ uſq; ad annum 1670. quando ſub Clemente X. ob cauſas nuper libatas, non edictis quidem, aut pœnis, nec etiam ſatellitum excurſu Aſyla Legatorum turbata ſunt; ſed tantùm precibus, querelíſque apud Principes actum, ut hunc uſum extingui permitterent. Idque multò efficacius à Moderno Pontifice, quod ſolùm ſufficeret impediendæ præ-

ſcriptioni.

Digitized by Google

ſcriptioni. Demus ergo (quamvis ob cauſam modò allegatam ne hoc quidem concedi poſſit) duodeviginti annos elapſos eſſe; quantum id temporis eſt, ut non dico contra Pontificem, ſed ne quidem contra privatum Civem præſcribi poſſit? nihil ergo Lavardinum juvat oſtentata Præſcriptio.

XXX. *Vigeſimoſeptimò*: Conqueritur, *violari Piſanam Conventionem.*

℟. Piſanâ Conventione nihil aliud contineri, quàm ut Legatis Galliæ honor exhibeatur tanto characteri debitus, non verò, ut jure Aſyli gaudeant, præſertim, quando alij Principes ei renuntiârunt. Imò Alexander VII. conſtantiſſimè negavit auctoritatem ſuam Aſylo præſtare, illúdque ratum habere, ut ex publicis documentis conſtat. Aliud eſt ergo honor legatis debitus, aliud Aſylum, neque hoc ad jura Legatorum pertinere, omnium, qui de hac re ſcripſerunt, teſtimonijs conſtat, patétque alio-

rum

Digitized by Google

rum Principum exemplo. Deinde Piſana Conventio de Legatis loquitur, qualis Lavardinus non eſt, quando, ut ſuprà jam monui, non ſolius mittentis imperium Legatum faciat, ſed etiam conſenſus Principis, ad quem mittitur.

XXXI. *Vigeſimo octavò:* Multis locis conqueritur Lavardini Orator: *Modernum Pontificem Innocentium malè in Gallos animatum eſſe; idque toto ſui Pontificatûs tempore multis, magniſque exemplis oſtendiſſe.*

℟. Poſſet Innocentius reſpondere, quod olim Elias ſimilis culpæ à Rege poſtulatus: cùm enim illum iſtis verbis Achab alloqueretur: *Tu ne es ille, qui conturbas Iſraël?* Reſpondit: *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu, qui dereliquiſti mandatum Domini.* Si Galli juſta peterent, & quæ concedi poſſent, meritò & ante alios audirentur. Cùm verò illa petant, quæ Conſcientia non admittit, quis amabo cauſa repulſæ?

Digitized by Google

pulſæ? qui petit, an qui negat indigna? permittant Galli aliquem locum Conſcientiæ, nec injuriam aut odium putent Regem ſoli Deo poſtponi.

Recenſebo, de quibus Galli cauſantur, ſe à Pontifice exauditos non eſſe, ſitque Lectori judicium, odium an neceſſitas dici poſſit, quidquid Pontifex Gallis negavit?

Primò enim Rex Chriſtianiſſimus Jus Regaliæ propriâ auctoritate ad Eccleſias duplo plures extendit, quàm quæ anteà huic ſervituti ſubjectæ erant, imò etiam ad Eccleſiam regularem, qualis fuit Apamienſis, ídque contra Lugdunenſis Concilij Decreta, contra Præſcriptionem immemorialem, contra Leges omnium retrò Galliæ Regum, & deníque contra jus & immunitatem tot Eccleſiarum.

Secundò. Vicarij Generales ab Apamienſi Capitulo Canonicè electi, Regiâ auctoritate operáque Archiepiſcopi Tholoſani expulſi ſunt, aliíque

que intruſi, Canonicis omnibus Regularibus Apamienſis Eccleſiæ direptionibus, carceribus, exilio pulſis, totóque Capitulo illius Eccleſiæ diſſipato; unde funeſtum ſchiſma ſecutum, durátque in hunc diem.

Tertiò. Nominatio in aliquibus Monaſterijs Urbaniſſarum Sanctimonialium Regi vindicata, ſuppreſſis liberis Electionibus, intrusiſque Titularibus Abbatiſſis, unde ſumma ac plena ſcandali inter ſacras Virgines exorta confuſio.

Quartò. Oppreſſio Cluniacenſis Abbatiæ, in qua licèt vi Concordatorum jus eligendi ſit penès Religioſos, & ij quendam Patrem Beuveron canonicè elegiſſent, hoc tamen renuntiare coacto, punitóque longo exilio ſubſtitutus eſt Bullonius Cardinalis, quem nunquam Pontifex adduci potuit, ut confirmaret, quippe contra Canones intruſum, cúmque inſigni injuria, damnóque canonicè electi.

Quintò.

Digitized by Google

Quintò. Extincta quóque ſunt Regiâ auctoritate quàm plurima Leproſoria, & loca pia (quorum plurima ad Ordinem S. Lazari ſpectabant) & Regis juſſu invalidorum Xenodochio unita, quod noluit Pontifex ratum habere.

Sextò. Uſurpata quóque nominatio Abbatum in quàmplurimis Galliæ Monaſterijs, alijſque Provincijs bello quæſitis, cum certa clade Inſtituti & Diſciplinæ Regularis, quod nunquàm Pontifex probavit.

Septimò. Nominati quóque ſunt ad vacantes Eccleſias duo ex illis Prælatis, qui anno 1682. Conventui Pariſienſi aſſedêre, novámque & omnibus Eccleſiæ, Galliæque Patribus adverſam doctrinam inducere moliti; ac etiam pro Regalia deciderunt, excluſo Pontifice, cujus tamen judicio cauſas majores reſervari certiſſima Patrum Regula eſt, etiam à Maimburgo, aliiſque Gallis admiſſa. Hos verò à Rege nominatos Epiſcopos tan-

tanquàm ſuſpectâ, ſacriſque Canonibus adversâ doctrinâ infectos Pontifex reſpuit; unde Galli animum obfirmârunt, ut ne quidem alios Epiſcopos ferè triginta proponerent, ingenti vacantium Eccleſiarum damno.

Octavò. Taceo novam, & Gallicâ pietate indignam perſecutionem, quâ contra Eccleſiæ immunitatem tot inſignes, præclaríque Sacerdotes, & Eccleſiaſticis Dignitatibus aucti, carceribus, proſcriptionibus, exiliíſque puniti ſunt. Hæc nunquam Innocentius probare potuit, & quî poſſet à ſacris Canonibus, ab Eccleſiæ Gallicanæ inſtitutis, & Legibus Divinis, humaníſque adeò aliena? Hinc Gallorum querelæ, qui & Pontificem, & Pontificis Miniſtros, odij acuſant, quòd non velint, quæ non licent quódque non poſſint Regiorum Miniſtrorum cupiditatibus adulari; & Deum, Conſcientiam, Regémque prodere tam turpi ac indignâ conniventiâ.

XXXII.

Digitized by Google

Quintò. Extincta quóque ſunt Regiâ auctoritate quàm plurima Leproſoria, & loca pia (quorum plurima ad Ordinem S. Lazari ſpectabant) & Regis juſſu invalidorum Xenodochio unita, quod noluit Pontifex ratum habere.

Sextò. Uſurpata quóque nominatio Abbatum in quàmplurimis Galliæ Monaſterijs, alijſque Provincijs bello quæſitis, cum certa clade Inſtituti & Diſciplinæ Regularis, quod nunquàm Pontifex probavit.

Septimò. Nominati quóque ſunt ad vacantes Eccleſias duo ex illis Prælatis, qui anno 1682. Conventui Pariſienſi aſſedêre, novámque & omnibus Eccleſiæ, Galliæque Patribus adverſam doctrinam inducere moliti; ac etiam pro Regalia deciderunt, excluſo Pontifice, cujus tamen judicio cauſas majores reſervari certiſſima Patrum Regula eſt, etiam à Maimburgo, aliiſque Gallis admiſſa. Hos verò à Rege nominatos Epiſcopos

tan-

tanquàm ſuſpectâ, ſacriſque Canonibus adversâ doctrinâ infectos Pontifex reſpuit; unde Galli animum obfirmârunt, ut ne quidem alios Epiſcopos ferè triginta proponerent, ingenti vacantium Eccleſiarum damno.

Octavò. Taceo novam, & Gallicâ pietate indignam perſecutionem, quâ contra Eccleſiæ immunitatem tot inſignes, præclaríque Sacerdotes, & Eccleſiaſticis Dignitatibus aucti, carceribus, proſcriptionibus, exiliiſque puniti ſunt. Hæc nunquam Innocentius probare potuit, & quî poſſet à ſacris Canonibus, ab Eccleſiæ Gallicanæ inſtitutis, & Legibus Divinis, humaníſque adeò aliena? Hinc Gallorum querelæ, qui & Pontificem, & Pontificis Miniſtros, odij acuſant, quòd non velint, quæ non licent quódque non poſſint Regiorum Miniſtrorum cupiditatibus adulari; & Deum, Conſcientiam, Regémque prodere tam turpi ac indignâ conniventiâ.

XXXII.

XXXII. *Ultimò.* Denique ſparſim hic Auctor minatur: (quod etiam Lavardinus in fine Apologiæ ſuæ fecerat) *Si quis reverentiæ & honori defuerit Legato tanti Monarchæ debito, reum illum fore omnium malorum, quæ ex irata, offenſâque Regis Majeſtate provenire poſſint.*

℟. Jam obſervatum eſt, Aſylum non pertinere ad honores ac jura Legatorum, nec Lavardinum poſſe Legatum dici, ſicque nullam juſtam cauſam prætexi Regiæ indignationis. Quòd ſi tamen, ut Lavardinus minatur, Chriſtianiſſimo Regi placuerit armis hanc cauſam finire, & quod jure non potuit, vi ac potentiâ exprimere, nihil aliud Innocentio ſupererit, quàm ut patientiâ Pontifice dignâ, quidquid Regi viſum fuerit, intrepidè patiatur, ſéque non Achillis, aut Hectoris, ſed Piſcatoris ſucceſſorem meminerit, cui, ut gladio abſtineret, à Chriſto imperatum eſt. Non ergo Chriſtianiſſimo Regi, Eccle-

Eccleſiæque Primogenito aut arma, aut acies opponet, ſed reverentiam Pontifici debitam. Dicétque Innocentius, quod olim & in ſimili cauſa Ambroſius: (a) *Meminiſtis, quod lectum eſt, Nabuthem ſanctum virum poſſeſſorem vineæ ſuæ interpellatum petitione Regiâ, ut vineam ſuam daret, reſpondiſſe: abſit ut ego tradam Patrum meorum hæreditatem, ſi ille vineam ſuam non tradidit, nos trademus Eccleſiam Chriſti? Quid igitur reſponſum eſt à me contumaciter? Dixi enim conventus, abſit, ut tradam Chriſti hæreditatem. Reſpondi ego quòd Sacerdotis eſt, quòd Imperatoris eſt, faciat Imperator, priùs eſt, ut animam mihi, quàm fidem aufferat. Si à me peteret, quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, jus hujuſmodi meum, non refragarer; Verùm ea, quæ Divina, non eſſe Imperatoriæ Poteſtatis: ſi Patrimonium meum petitis, invadite: ſi corpus, occurram, vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati eſt mihi, non ego*

(a) Ambroſ. in Auxent. & epiſt. 33.

ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratiùs immolabor. Hæc olim Ambroſius Valentiniano Imperatori. Hæc iterùm Innocentius Ludovico Regi.

FINIS.

REFU-

REFVTATIO TALONIJ REGIJ ADVOCATI

Ex Gallico in Latinum Sermonem translata in gratiam Veritatis.

QUi maledixerit Patri ſuo, &c. Exod. 21. 17. *Principi populi tui non maledices*. Exod. 22.28. *Verè fruſtra impugnatur, qui apud impios & infidos impietatis arceſſitur, cùm fidei ſit magiſter*. Ambroſ. in Pſal. 118.

Digitized by Google

COmparuit nuper audax quædam declamatio à Talonio typis vulgata, ſententiæque præfixa, quam Pariſienſe Parlamentum contra Bullam Innocentij XI. dixit; hoc eſt contra illud Diploma, quo Pontifex Romanus illos omnes anathemate percellit, qui Aſyli aut immunitatum (quas Franchitias vocant) prætextu ſceleratis, latronibus, proſcriptíſque patrocinium & ſecuritatem præſtant, & illos juſtitiæ, meritíſque pœnis ſubducunt.

Planè niſi hoc Talonij folium palàm, totáque Lutetiâ viſum eſſet, ac inſuper nomen Parlamenti oſtentâſſet; quis unquam crediaiſſet tam infame ſcriptum, tótque

tótque in Romanum Pontificem, ſedémque Apoſtolicam injurijs ſparſum ſub Rege ſapientiâ & Religione præcipuo aut toleratum, aut Advocati Generalis calamo emiſſum iri, jam annis, ſtudiíſque forenſibus cani? Conſtat equidem flagrante juventute multa ab hoc Togato contra Romanam Eccleſiam ex Lanoij ſcriptis profuſa eſſe, illius, inquam, Lanoij, cui non alius ſcribendi ſcopus, quàm ut detraheret Pontificum auctoritati. Cæterùm ſperari poterat ætate annis & experientiâ rerum auctâ bilem tandem minutum iri, ardorémque juventutis, quo tam multa contra Sedem Apoſtolicam inconſultè latraverat. Sed & reverentia non Eccleſiæ tantùm

Digitized by Google

Gallicanæ debita, ſed toti Catholico Orbi (cujus caput viſibile, Chriſtíq; Vicarium tam indignè invaſerat) & metus quóque omnium animos in ſe provocandi prohibere eum debuit tam pudendo facinore. Nam cùm viginti abhinc annis orationem vulgâſſet erroribus, injuriíſque plenam; continuò Clerus Gallicanus contra illam querelis ſupplicíque ad Regem libello pugnavit, & ſchiſmatis, hæresíſque convicit; quis non crederet cautiùs progreſſurum jam ſemel & tam graviter ictum? & tamen nunquam inſolentius in Pontificem, ſedémque Apoſtolicam, quàm in nupero libello debacchatus eſt, neſcias ſponte ſuâ, nativáque intemperie id fecerit, an ut aulæ blandiretur.

Sanè

Sanè in tanti momenti negotio, quódque Europam totam concuſſerat, nemo non expectabat, ex hiſtorijs, legibus, ipsíſque viſceribus cauſæ magnum aliquid à Talonio productum iri, & par tam injuſtæ, vanæque moli ſuſtinendæ. Nam quantis & quàm validis rationibus opus, ut hominibus perſuadeas, licere Gallis in alieno Principatu, inque ipſa Metropoli ſupremâ uti poteſtate Principe invito? Et tandem jus illud immunitatum & Franchitiarum tantâ contentione à Talonio defenſum, quid aliud eſt, quàm poteſtas Principem in ſuis provincijs auctoritate privandi; alienam juriſdictionem invadendi; impunitatem omnibus flagitijs parandi; in

Digitized by Google

communi totius Orbis Patria (ſic enim Romam Talonius appellat) & in qua ſumma neceſſitas diſciplinæ, leges omnes pervertendi; & denique tot hominum millia, quæ ex toto Orbe Romam conveniunt, ſceleratorum arbitrio & licentiæ exponendi, nullo juſtitiæ præſidio? En tibi egregiam Franchitiarum ideam! & tamen hæc ipſa eſt, cui tanto ſtudio Lavardinus laborat. Si damna & perniciem repures, quæ ex hoc jure Aſyli proveniunt, omninò concludas, etiamſi aliquâ ratione niteretur, à Rege Chriſtianiſſimo abdicandum eſſe, ídque ad ejus pietatem & juſtitiam pertinere, ne videlicet tot flagitiorum ſe reum conſtituat, quibus uſurpatum hoc privilegium,

Digitized by Google

gium aut cauſam præbet, aut occaſionem.

At Talonius in vulgata nuper invectiva non argumentis, non probationibus cauſam Aſylorum propugnat, nec ſaltem pompâ illâ mendicatæ eruditionis, quam alibi oſtentat: nihil de uſu, nihil de poſſeſſione Regum Galliæ poſt fundatam Monarchiam, nihil, inquam, iſtorum; ſed aut Rethoricis figuris contentus, aut fumo Gallicanæ libertatis, aut declamationibus in aulam Romanam, aut alijs cantilenis toties auditis, totiéſque refutatis; illud unum inculcat repetítque: *Jus Aſyli ad Regem pertinere, nec unquam abdicatum iri.* Quòd ſi tanti privilegij cauſas & rationes quæras; non alias affert, quàm fi-

Digitized by Google

dem & auctoritatem ſuam: *Talonius dixit.*

Contendit: *Nec Reges, nec Regum Legatos poſſe excommunicatione puniri: Eccleſiam S. Ludovici injuſtè Interdicto ſuppoſitam.* Sed nullam rationem adjungit tantæ criminationis; facilius quippe, breviúſque Talonio viſum, ſi cauſam non examinaret, non diſcuteret; ſed more ſibyllarum oracula proferret nullâ curâ probandi: *Roma poteſtate ſuâ abutitur, Roma Galliæ libertates deflorat:* Hæc ſumma negotij. Quem ergo effectum pariet hæc Talonij Oratio à Gallis tam decantata? non alium credo, quàm ut tripudient hæretici: eruditi contemnant: Catholici, addictíque Romanæ Eccleſiæ indignentur: omnes verò boni

boni infortunium Galliæ deplorent, quæ hominem ferat ſummo Sacerdoti tam audacter inſultantem, tantáque fiduciâ ſchiſmati præcinentem, ídque ſub illo Rege, cui tanta ſapientiæ & æquitatis cura.

Augétque dolorem, quòd illi ipſi, quos rebus Eccleſiaſticis Rex Galliæ præfecit, & quorum operâ, conſiliiſque utitur Romæ, non tantùm non offendantur hujus Advocati petulantiâ, verùm etiam applaudant, exulténtque; imò tam indignæ in Romanam Eccleſiam rebellionis ipſi ſint auctores, fabríque calumniarum, quibus tanti Pontificis nomen audent defædare.

Cæterùm injuriæ toto hoc Talonij libello ſparſæ, adeò turba-

tim nullóque ordine incedunt, ut ijs componendis nulla mea cura ſuffecerit; fateor enim conatum me eſſe, ut illas diſponerem, quo videlicet clariùs apparere, convincíque poſſint: ſed ut dixi, prævaluit Auctoris confuſio, ut proinde oppugnari à me debeant vago certamine, & prout ſingulæ occurrerint. Niſi fortè omnia ad hæc capita reducas, videlicet *Primò* ad injurias & convitia, quæ impudenter in Pontificem vomit. *Secundò* in querelas, quas de Pontifice malè in Gallias animato ſparſim accumulat. *Tertiò* in ſententias erroneas circa auctoritatem Eccleſiæ Romanæ Matris & Magiſtræ omnium Eccleſiarum. Et *deniq;* in vaniſſimas ratiocinationes, ac puero, quàm Advo-

Advocato magis dignas, quibus Imaginarium jus Aſyli,& Divino, humanóque juri contrarium, Regi Chriſtianiſſimo vendicare contendit. Hæc merces Talonij; & quamvis nemo unquam Aſſentatorum huc úſque proceſſerit, placuit Talonio illos omnes ſuperare adulandi peritiâ.

Primò igitur Pontifici objectat: *Jam à pluribus annis ſtatuiſſe hoſtem ſe Gallorum profiteri, amicum verò omnium, quibus Galliæ potentia aut odioſa, aut ſuſpecta.*

Vides exordium tam grandis calumniæ: quid porrò à Talonio expectas? ut probet? ut fœdera narret cum Galliæ hoſtibus ab Innocentio percuſſa? ut bella, aut ſaltem machinationes pro-

ducat in Galliæ perniciem? nihil iſtorum; conſtat enim id maximè ab Innocentio hactenùs curatum, *ut* animos Chriſtianorum Principum componeret extinctis diſcordijs, *útque* palàm teſtaretur paternum amorem, & parem amori æſtimationem, quam Chriſtianiſſimo Regi profitetur, nec aliud ab eo fœdus conjunctum, quàm innocens illud, Deóque tam charum, quo delendæ Turcarum potentiæ Chriſtianorum vires ſociavit. En odia & inſidias Innocentij. Illud verum eſt (ſi hoc culpæ dari debet) doluiſſe Pontifici, cùm Regem videret pernicioſis Miniſtrorum conſilijs nimium tribuere, Principem alioquin pium, juſtúmque, quoties ſuis, non aliorum arbitrijs

trijs ageretur. Et verò, quàm benignè, humanéque Regem admonuit, ne permitteret Regaliam quatuor Provinciarum Ecclesijs imponi, quæ ſemper immunes fuerant hujus ſervitutis; & quâ tamen ejus Miniſtri Eccleſias opprimebant, Regio nomine abuſi, calcatáque Juſtitiâ?

Quis autem ſatis dolorem explicet, quo Sanctiſſimus Pontifex angebatur, cùm videret tot Epiſcopos, tótque alios Sacerdotes pietate, Zelóque inſignes, toto Regno proſcribi, & pænas graviſſimas dare, nec aliam ob cauſam, quàm quòd Romæ obedirent, cauſámque libertatis Eccleſiaſticæ ſuſtinerent; idque exemplo ipſorum Galliæ Antiſtitum, qui octuaginta ab hinc an-

Digitized by Google

nis eam conſtantiſſimè defenderant; imò quam ipſe Petrus de Marca, quamvis alioquin Regi addictiſſimus, egregijs ſcriptis agnoverat, oppreſſus, ut credo, mole veritatis.

Cùm videret Regiâ auctoritate inſtitutum Religioſarum Infantiæ Chriſti ab Epiſcopis, à Pontificibus, ab ipſóque Rege approbatum, momento aboleri, nullâ juſtitiæ, legúmque reverentiâ?

Cùm videret hinc everti Charonenſe Monaſterium, inde in ædibus Urbaniſſarum perpetuas Antiſtitas intrudi, idque contra omnes Leges, canonúmque Decreta?

Cùm videret arbitrio Judicum ſæcularium & libertatem, & juriſdictionem Eccleſiarum turpiſ-

ſimâ

ſimâ ſervitute damnari; jugúmque Eccleſiæ Gallicanæ ab ijs imponi, quorum vita nimis quàm nota, & ſilentio digna: Eccleſiæ inquam Gallicanæ, quæ cùm ſingulis ferè momentis libertates ſuas jactet, re ipsâ ſæculari Magiſtratui ad pedes jacet, ſervítque miſerrimo ac pudendo ancillatu, Parlamento videlicet rebus ſacris & Eccleſijs imperitante, idque majori faſtu ac dominatu, quàm ipſa Oecumenica Concilia, Romaníque Pontifices.

Cùm videret præcipuas Regni ac devictarum Provinciarum Abbatias in Commendas dari: Epiſcopos ad alienas Eccceſias transferri, ſuis, quas primò ſuſceperant, relictis, commiſsíſque alteri & ſubornato Epiſcopo, qui prioris

prioris Epiſcopi Vicarium agat: cogi Capitula vacante Eccleſiâ, Vicarios eligere, non quos volunt, & quos Conſcientia eligendos dictat, ſed quos Rex imperat, præſcribítque: Canonicos exilio pelli, quotquot Gubernatoribus Provinciarum licèt modeſtè obnituntur, recuſántque Mercenarios Paſtores accipere ex aulæ præſcripto.

Cùm videret Galliæ Epiſcopos olim Apoſtolicæ Sedi majori quàm dici poſſit, demiſſionis & reverentiæ ſenſu addictos, nunc omninò diſſimiles ſibi in Conventibus annis 1680. & 1682. celebratis claſſicum aperto bello in Eccleſiam Romanam ceciniſſe; ac Decreta vulgâſſe Apoſtolicæ Dignitati planè adverſa, & ab ijs Decre-

Decretis aliena, quæ Eccleſia Gallicana in Comitijs anni 1616. per Cardinalem Perronium, & anno 1625. in articulis pro reparanda Eccleſiaſtica Diſciplina condiderat. Sed ut credo, alia tunc erat ratio Galliæ Epiſcoporum; olim enim Conſcientiæ ſtimulis, ſpiritúque Religionis agebantur: nunc metu & factionibus, aulæq́ue inſtinctu; quid ergo mirum alijs ex cauſis alios effectus prodijſſe? Ut proinde nonnemo ex Epiſcopis, qui Pariſienſi Conventui aſſedit, amico ſuo familiariter, veréque dixerit: *Galliæ Epiſcopos libertatem, honorem, & Conſcientiam in Conventu Pariſienſi perdidiſſe, & nihil præterea.*

Cùm videret Clerum Gallicanum olim pietate, ſcientiâ & con-

conſtantiâ Sacerdotali ante alios florentem : nunc adeò marcuiſſe, ut malit jura & privilegia Eccleſiarum ſuarum penitùs deleri, quàm vel vocem, vel querelam emittere memorem priſtinæ libertatis. Quid minùs facerent, ſi mancipia eſſent?

Cùm denique videret tot Sacerdotes, viróſque doctrinâ inſignes, exilijs, carceribus, falſis criminationibus, alijſque modis puniri, ac privari ſuis beneficijs; ídque nullâ judicij formâ ſervatâ, ac ſæpè ſuis etiam Epiſcopis Diœceſanis omnium ignaris, inconſultíſque: & ſi cauſam quærerent tam ſævæ perſecutionis; hæc una reddebatur: *Quòd Janſeniſmum redolerent.* Hoc nimirum crimen eſt, quo omnes

Inno-

Digitized by Google

Innocentes laborant; quotquot videlicet Regijs Miniſtris adulari non poſſunt. Nec refert, ſi palàm proteſtentur: *Se Janſenij quinque propoſitiones ex animo averſari.* Nihilominùs rei ſunt, & velint, nolint, oportet, ut inviti ſint Janſeniſtæ, novâ videlicet delicti ſpecie, quando cogunt hæreticos eſſe, etiam qui nolunt. Sed neque hoc ſatis, alia ſubjungunt Janſeniſmo ſupplendo; videlicet eſſe ſeditioſos: eſſe novæ Ethices (Principibus tam charæ) juratos hoſtes: eſſe mille titulis ſuſpectos: eſſe denique, quidquid non ſunt: niſi fortè hoc unum excipias, quòd illis, qui in aula ſunt, & quorum arbitrio Eccleſiæ permittuntur, blandiri non poſſint; hoc unum verúmque delictum

ctum eſt, quod ne nomine careat, *Janſeniſmum* appellant.

Accuſat Talonius *ſeveritatem Romanæ Inquiſitionis*. Sed ſi ex una parte progreſſus attenderet hujus Tribunalis, quo videlicet ſelectu accuſationes audiantur: quo ſtudio reorum reſponſa: quàm lentè & per moras ſententiæ maturentur: ex altera verò parte, ſi modum animo reputaret, quo Perſonæ Eccleſiaſticæ in Gallijs judicentur, non auditis videlicet reorum reſponſis, non communicatis depoſitionibus; non collatis teſtibus, nec coram conſtitutis; non Epiſcopis conſultis, quorum ſubſunt juriſdictioni & poteſtati; nullo ordine, nullâ formâ judicij; ejecti, proſcripti, ſpoliati, & ſquallidiſſimis cuſto-

cuſtodijs afflicti; nullo commeatu, nullo ſolatio, nullâ veniæ ſpe, ac ſæpè unius tantùm Jeſuitæ delatione oppreſſi: ſi hæc inquam omnia cum Romanis Tribunalibus conferret Talonius; fateretur utique (ſi modò tanta ori, quanta cordi libertas) plumeum Romæ, ferreum in Gallijs jugum portari, & eorum Inquiſitionem, quibus res Eccleſiaſticæ à Rege committuntur, adeò inclementem, adeò crudelem eſſe, ut delitiæ ſint, quidquid de Italia & Hiſpanica ſeveritate narratur. Recordetur ergo Talonius, quàm indignis ſævíſque modis in Gallijs habeantur, quot, quot aulæ non placent, & fatebitur, nullam de Romana inquiſitione querelam ſupereſſe.

Enim-

Enimverò mala & abuſus, quæ modò libavimus, & quæ longo ordine narranda ſupereſſent, Pontificem Innocentium non latent; nec omiſit jam fuſis ad Deum lacrymis, jam litteris ad Regem datis, humanitate, paternóque affectu plenis, jam precibus per Nuntios porrectis, remedium aliquod quærere tam pertinacibus morbis. Hoc totum eſt odium. Hæc perſecutio, quæ Pontifici imputatur: quòd gemuerit, quòd rogaverit, quòd monuerit, quòd medelam aptaverit, quòd Immunitati Eccleſiaſticæ jam in faciem cadenti brachium porrexerit, quòd Clerum reformari, injuſtéque oppreſſis quietem optaverit. Hoc, inquàm, ſi delictum, & odium vocari debuit,

buit, nemo nocentior Pontifice, nemo Galliæ infenſior: at pari ratione & Medicus, cùm infirmo medetur, & Pater cùm filium objurgat emendaturus, inter hoſtes & perſecutores cenſendi erunt.

Opponit ſecundo ordine Talonius (ſi modò Talonij ſunt, quæ nullam connexionem habent cum ijs, quæ ſequuntur, præcedúntque) *Chariſſimos eſſe Pontifici, quos conſtat Janſenij diſcipulos fuiſſe, hos laudibus, hos mille favoribus cumulari.*

Non explicat Talonius, qui ſint iſti Janſenio addicti, & Pontifici Innocentio prædilecti, & conſultò tacet, quos non poteſt indicare, quippe innocentes; & pœnas quoque Calumniatorum veritus,

cùm

cùm eum non lateat, enixis verbis, regióque Diplomate prohiberi, ne Janſeniſtæ appellentur, quotquot aut Pontificijs contra Janſenium Decretis ſe ſubmiſerunt, aut à nullo Epiſcoporum hujus criminis damnati ſunt.

Quod verò adjungit Talonius: *Ipſum Pontificem Innocentium Janſeniſtarum partes fovere*; tam petulanter, falſóque dicitur, ut ne quidem reſponſum mereatur; illud potiùs demiror, & Galliam, & Parlamentum ferre tam indignas, enorméſque calumnias non ſolùm toto Regno jactari, verùm etiam ipſius Parlamenti Arreſto præfigi. Hæc nimirum eſt reverentia Romano Pontifici debita? hæc juſtitia Parlamenti tam atrocia ſimulantis? & quid

mirum

mirum eſt, tot Innocentes Epiſcopos ſubornatis accuſationibus damnari, quando vel in ipſum Pontificem tanta, & tam impunita licentia?

Sed néque ſatis Pontificem Janſeniſmi poſtulâſſe, addit Talonius: *Tam ſegnem eſſe, inertémque, in Quietiſtarum erroribus profligandis, ut non ſomno tantùm, ſed lethargo correptus videatur.*

Hæc Talonius notâ Advocatis modeſtiâ; & tamen palàm eſt, non potuiſſe Innocentium majori Zelo & curâ perſequi Quietiſtas, poſtquàm obſervati ſunt, eorúmque hæreſin extinguere. Notum eſt, quàm ſeverè cum Michaële Molinos hujus hæreſis infami Auctore ejúſque Aſſeclis à Pontifice actum. Illud verum

L eſt,

eſt, voluiſſe Innocentium omnium retrò Pontificum, Patrúmque exemplo, ac etiam ex Canonum præſcripto diſcrimen fieri inter hæreſis Auctorem, quique huic ſpontè, obſtinatéque adhæſerunt; & inter illos, qui licet Religione, ac doctrinâ eximij, primáſque Eccleſiæ dignitates meriti; ſpecie tamen pietatis decepti (quam viginti omninò annos egregiè Molinos finxerat) in errorem prolapſi ſunt; parati tamen ex Eccleſiæ ſententia illos deponere. Noluit, inquam, Innocentius hos cum obſtinatis hæreticis eodem faſce involvi; nam etiam in cauſa Religionis nihil fieri inconſultò debet, cæcóq; impetu & citra rationem, & tamen hæc omnia à Patribus exercita, à Cano-

à Canonibus præſcripta, ſomnus Talonio, & lethargus videntur.

Cùm aliquot abhinc annos Iñocentius errores Caſuiſtarum, qui moralem Theologiam corruperant, ſolemni diplomate damnâſſet; vetuit Parlamentum vulgari, quòd in illo mentio fieret Inquiſitionis. Nunc verò cùm Pontifex cauſam Molinos ejúſque Aſſeclarum maturè, citráque paſſionem expendi vult, nec patitur præcipui meriti Prælatos adverſariorum invidiæ exponi; indignatur Talonius, urgétque Pontificem, & Inquiſitionem inclamat, Tribunal alioquin tam illi exoſum, & tunc præcipuè, cùm non patitur corruptelas opinionum Chriſtianæ Theologiæ adeò funeſtas.

Denique offendunt Advocatum noſtrum, quæ de Pontificis Innnocentij ſanctitate paſſim & ab omnibus celebrantur: *Nec alios tam præclarè de hoc Pontifice ſentire dicit, quàm Janſenÿ Diſcipulos.*

Quid poſſet vel ipſa invidia, ſi calamum Talonio duceret, ineptius fingere? Oportet enimverò totam Europam ex Janſeniſtis conſtare; tota enim eſt, quæ Modernum Pontificem ſummis laudibus extollit, quæ illum ut Paſtorem agnoſcit ex ſpeciali Dei providentia Eccleſiæ datum: & quæ fatetur, neceſſarium fuiſſe corruptiſſimis hiſce temporibus, ne videretur abbreviata manus Domini, & ſuorum oblita. Interroget Talonius Romam, imò

iuuò totum Orbem Chriſtianum & veritati teſtimonium feret. Cùm Sedes Romana vacaret, jam tunc omnium votis digniſſimus Pontificatu cenſebatur, nec ſpes fefellit, cecidítque major omni exſpectatione eventus. Animus ab omni faſtu & cupiditate alienus. Familia, & conſanguinei non opibus, non honoribus aucti. Ingens domi frugalitas, & par cura ſublevandæ Apoſtolicæ Cameræ ære alieno oppreſſæ. Pax inter Principes Chriſtianos immenſis laboribus parta, profuſique Theſauri evertendo Turcarum imperio. Taceo feliciſſimum belli eventum, infidelibus, non tantùm armis, verùm etiam terrore nominis Chriſtiani & civili bello oppreſſis. Taceo

Catholicam Religionem Angliæ illatam; Germaniam Turcis purgatam, certǽque ruinæ ereptam; Nepotiſmum Româ proſcriptum; morum integritatem ſemper ſibi ſimilem, néque ut fieri ſolet, Principatu & faſtigio corruptam. Conſtantiam Principe dignam, omnı́que metu majorem, & denique infinita alia, quæ de hoc Pontifice narrari poſſent.

Hæc omnia tam vera & magna ſunt, & Innocentij virtutes tot vocibus & teſtimonijs probant, ut nullis Talonij calumnijs nulláque invidentium arte obſcurari poſſint.

Pergit deinde Talonius ad alia querelarum capita Romano Pontifici objecta, & cui maximè

inſiſtit,

inſiſtit, urgétque, illa eſt; quòd recuſet Innocentius vacantes Epiſcopatus illis conferre, quos Rex nominavit: *Tertiam ferè partem Eccleſiarum Paſtoribus vacare: ſi nolit Pontifex concordatis ſtare, ne Regem quidem illis obſtringi; ut ergo primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopos Populus eligebat, ita nunc vice populi poſſe à Rege conſtitui, cùm præcipua populi auctoritas ſit in Reges translata.*

Sic Talonius philoſophatur. Atque utinam quàm Romæ, tam in Gallijs concordata religiosè obſervarentur, ceſſarent utíque tot illi abuſus, injuſtæqúe uſurpationes, quæ Galliam occupârunt, quæqúe bonis omnibus tot lacrymas expreſſerunt; quamvis eò tandem proceſsère, ut facilius

Digitized by Google

defleri, quàm emendari poſſint. Sed ut objectis reſpondeam, nego Pontificem eos reſpuiſſe, qui à Rege fuerant optati, modò tamen ijs conditionibus potirentur, quas Concordata, ſacríque Canones requirunt. Nec ad alios virtute Concordatorum id examinare, quàm ad Summum Pontificem pertinet. Quòd ſi abſint neceſſariæ conditiones, tenetur Rex ſpatio trimeſtri alios nominare deſideratis qualitatibus inſtructos. Nec obligari Pontifex poteſt proferre cauſas repulſæ, cùm nullius judicio ſubjaceat. Quamvis enim niſi ob juſtiſſimas cauſas repellere non poſſit à Rege nominatos; id tamen Conſcientiæ illius relinquitur, nec ab ullo Principum ad rationem

repulſæ

repulſæ reddendam, multóque minùs ad indignos admittendos, & pacta violanda conſtringi poteſt. Legantur tantùm concordata, & quæ poſt illam contigêre, ad memoriam revocentur, patebítque jure, an injuriâ Pontifex accuſari poſſit. Quantis laboribus & à Cardinalibus, & à Legatis Galliæ certatum eſt, ut Renatus Henrici IV. Confeſſarius Trecenſi Epiſcopatu donaretur, quem illi Rex deſtinaverat; nec tamen impetrari Bullæ potuerunt, ut videre eſt in Epiſtolis Oſſati Cardinalis. Nota quóque omnibus eſt celebris illius Abbatis repulſa, quem cùm Ludovicus XIII. Regnantis Pater infinitis elogijs Pontifici ad Epiſcopatum obtuliſſet, nunquam tamen obtineri

Digitized by Google

potuit, ob quaſdam Abbatis actiones Epiſcopo indignas, & clàm Pontifici notas.

At, inquies, *triginta interim Eccleſiæ ab Innocentio Epiſcopis privantur.*

Fallitur Talonius, Pontifex enim duos tantùm admittere recuſavit, qui videlicet Anno 1682. Conventui Pariſienſi interfuerant, ſubſcripſerántque omnibus in eo Conventu decretis. At Regij Romæ Miniſtri ſive imperio Regis, ſive proprio inſtinctu negârunt, ſe alios proponere poſſe, duobus illis à Pontifice non admiſſis. Sícque Gallorum eſt culpa, tot hactenùs Eccleſias vacare. Nolo hîc ad examen revocare illorum imprudentiam, qui Regiam Majeſtatem nullâ neceſſita-

te

te hujuſmodi tricis implicârunt. Alij ſanè Miniſtri conati eſſent, aut Epiſcoporum, quos Rex nominaverat, innocentiam oſtendere, aut culpam elevare, aut aliâ quâvis ratione placare Pontificis animum, ne mutua utriúſque amicitia concideret, & optati à Rege admitterentur. Sed nihil iſtorum Regijs Miniſtris placuit, quippe placida & honeſta reſpuentibus, & illa potiùs amplecti paratis, quæ omnia turbare, quàm componere poſſint.

Sed quidquid de hoc ſit, illud ſaltem negari non poteſt, virtute Concordatorum jus plenarium Epiſcopos conſtituendi ad Sedem Apoſtolicam devolvi, quoties intra ſemeſtre à tempore Vacacationis nemo Pontifici præſen-

tur; tantum ergo abeſt, damna vacantium Eccleſiarum Pontifici adſcribi poſſe; ut potiùs ſumma illius moderatio magis magíſque appareat, viribus & auctoritati ſuæ pacem anteferentis.

Quòd ergo tot Eccleſiæ Paſtoribus careant, Regiorum Miniſtrorum culpa eſt, non Pontificis Romani; nec iſte, ut aulici aſſentatores criminantur, aut odio, aut vindictâ, aut genio Gallis adverſo impellitur, ſed ex Conſcientiæ & juſtitiæ præſcripto. Offerant Galli dignos Epiſcopali dignitate, & apertis brachijs eos Roma excipiet. Quòd ſi indignos proponunt, fruſtrà ſperant Pontificem minis & clamoribus permotum iri, multóque minùs ſordidis

Digitized by Google

ſordidis illis, ruſticiſque convitijs, quæ non puduit Talonium in tantum Pontificem expuere; & quibus nihil aliud effecit, quàm ut indignum ſe Togâ oſtenderet, officióque quo fungitur.

Nec dicat Talonius: *Ideò nominatos à Rege Epiſcopos Romæ* admiſſos non eſſe, quòd non credant Pontificem infallibilem eſſe, & Concilijs ſuperiorem, nec enim hæc repulſæ unica cauſa: ſed illa potiùs, quòd in eo Conventu, quem collectum eſſe jactabant Regi cum Pontifice componendo; auſi fuerint cauſam Regaliæ definire, hoc eſt illam cauſam, quam cùm conſtet ex majoribus, imò maximis eſſe, ſicque Pontifici reſervatam; ac inſuper per legitimam appella-

tionem ad Apoſtolicam Sedem devolutam; ignorare non poterant, non ad paucos Galliæ Epiſcopos, non Conventum Pariſienſem, ſed ad ſolum Pontificem pertinere. Et cùm oporteret in ea cauſa, in qua de libertate agebatur Eccleſiæ Gallicanæ, vires cum Pontifice, Chriſtíque Vicario conjungere; ipſi potiùs exemplo planè indigno, contra ſuum Protectorem arma ſumere, cauſas expoſtulandi congerere, Pontificiam poteſtatem in arctum cogere, ídque nullâ neceſſitate, nulláque auctoritate conati ſunt; hæ inquam cauſæ fuerunt, ob quas credidit Pontifex vacantes Eccleſias tam timidis, infidíſque Paſtoribus committi non poſſe.

Digitized by Google

Et verò cui unquam in mentem veniſſet, adeò Epiſcopis Pariſienſis Conventûs nullam decori, honeſtíque curam fore, ut eo ipſo tempore contra tam ſanctum Pontificem talia molirentur; quo ipſe nullo ſui privato commodò, incommodóque, ſed unicè ob libertatem Epiſcoporum, quatuorq́ue Provinciarum à Regalia exemptionem, cum Rege conflictabatur? Egregiam enimverò occaſionem, candidóque marmori incidendam, ob quam videlicet crederent indici bellum Romano Pontifici, ejúſque auctoritatem minui oportere. Sed néque ullum mandatum à Clero Provinciarũ ſuarum Epiſcopi acceperant tam grandia & inconceſſa tentandi.

Con-

Digitized by Google

Conſtat etiam illos ipſos Antiſtites, qui Pariſios convenerant, non liberis ſuffragijs, ſed vi, metúque, & ex aulæ imperio in cætibus Provincialibus electos fuiſſe. In ipſis quóque Pariſienſibus Comitijs nunquam tanti momenti cauſa diſcuſſa, & ad examen revocata, nec etiam Epiſcopis, aliiſque Provinciarum Deputatis libertas dicendi permiſſa; ſed omnia ex Præſidis arbitrio, hoc eſt, ut ex Palatio jubebantur raptim feſtinata.

Nolo hîc Pariſienſi declarationi, quatuórque propoſitionibus expendendis immorari, id jam ab alijs factum; ac illis præſertim, qui vaniſſimas ac plenas impoſturis Maimburgi cantilenas (digni videlicet illius Cætûs Protectoris) egregiè refutârunt. Suf-

Sufficit dicere, Epiſcopos, qui Pariſios convenerunt; & Baſileenſium, & Richerianorum licentiam ſuperâſſe, ac graviùs, quàm illi in Pontificis auctoritatem graſſatos eſſe. Baſileenſes enim in nonnullis tantùm caſibus Concilio Pontificem ſubmittebant; at Pariſienſes noſtri in omnibus & ſemper, adeò ut ſi Concilium aliquod legitimè congregatum hæreſin poſteà definiret (ut quondam Ariminenſe) non poſſet ex iſtorum ſententia à Pontifice irritum declarari, ejúſque Decreta aboleri. Si priùs Pariſienſes Epiſcopi & Gallicanæ Eccleſiæ in Synodo anni 1625. & Conciliorum documenta percurriſſent, quàm nuperam Declarationem foras proferrent; utique

utique intellexiſſet, illam menti Eccleſiæ Gallicanæ, omniúmque Conciliorum è diametro repugnare; quippe cùm Decreta, legéſque Conciliorum vim & auctoritatem nullam habeant, niſi à Pontifice confirmata.

At ex adverſo, ſi quis Deputatorum, qui Pariſijs convenerunt, audaciam animo reputet; meritò dubitare poſſit, non tantùm an Galli, verùm etiam an Catholici ſint, agnoſcántque pro Chriſti Vicario Pontificem Romanum; ſicque ex hac etiam parte meritò Pontifex morari debuit, Bulláſque retinere, donec de illorum fide & religione pleniùs conſtaret.

Cæterùm illud quóque notandum eſt, quod Talonius ex induſtria

ſtria omiſit, videlicet, eo ipſo tempore, quo duos illos ex notatis cauſis Innocentius rejecit, ſimul profeſſum, ſe alios, qui Pariſienſi Conventui non interfuerant, libenter admiſſurum; imò ſequenti poſteà anno Abbatem S. Valerij à Chriſtianiſſimo Rege nominatum ad Eccleſiam Quebekenſem in novo Orbe promovit.

Quid hîc rogo à Pontifice non moderatè, non canonicè, ſummáque prudentiâ factum? & quis eſt Talonius, ut plura à Pontifice petat, quàm in Concordatis comprehendatur? an verò oporteat Pontificem quoslibet, nullóque diſcrimine, digni aut indigni ſint, ad Epiſcopatus recipere? aut fortè examinata, & judicata à Pon-

à Pontifice Talonij examini & judicio, aut alterius Tribunali ſubjaceant? & ſi Pontifex omnes, quotquot illi à Rege exhibentur, acceptare tenetur, quid ergo cauſæ eſt, ut in Concordatis ſtatuatur, ſi Pontifex aliquem reijciat à Rege nominatum, obligari Regem intra tres menſes alium Pontifici offerre? nec verò inſolitum eſt, aliquos à Pontifice repelli; nondum quadraginta anni effluxerunt, cùm ob ſimilem ferè cauſam nunquàm obtineri potuit, ut Petrus de Marca ad Epiſcopatum Conſoranenſem, & poſteà Archiepiſcopatum Tholoſanum priùs admitteretur (quamvis à Rege nominatus, quamvis Gallico Legato omnem lapidem movente) quàm ut ali-

qua

qua purgâſſet, quæ in celebri ſuo libro de Concordia Sacerdotij & Imperij licentiùs contra Romanam Sedem expreſſerat.

Opponit quidem Talonius: *Cardinalem Lotharingiæ in Concilio Tridentino palàm profeſſum eſſe, Pontifici Romano donum infallibilitatis non competere.*

Sed multis rationibus auctoritas, & teſtimonium hujus Cardinalis impugnari poteſt.

Nam primò nec Paulus Servita, nec Pallavicinus in hiſtoria Tridentini Concilij hujus facti meminêre; at utique meminiſſent, nec enim aut ignorare poterant, aut ſilentio præterire rem tanti momenti, & tam omnibus notam.

Deinde

Digitized by Google

Deinde Inſtructio à Lotharingo ad Bretonem Agentem ſuum data, & quam deſcribit Dupuy, meritò ſuſpecta eſt, dubiæque fidei, & videtur ab hæreticis corrupta. Quippe Cardinalis in ea teſtatur: *Concilium Florentinum in Galliјs receptum non eſſe.* At nullus Catholicorum hoc dixerit, cùm conſtet ubique locorum Florentinum receptum eſſe, ſi Græcos ſchiſmaticos excipias. Baſileenſes quidem omnibus viribus egerunt, ne Concilium Florentinum indiceretur, & tamen nullus Principum relictis Baſileenſibus, Florentinum pro Oecumenico non agnovit, illíq; tanquàm legitimo non adhæſit.

Denique ipſe Dupuy ad marginem illius inſtructionis notat, impe-

Digitized by Google

imperâſſe Agenti ſuo Cardinalem Lotharingum: *Quæ Pontificem, & Concilij ſuperioritatem ſpectant, omitterent legere.* Ex quibus colligere licet, pœnituiſſe Cardinalem, & re maturiùs expensâ emendâſſe, quæ irato exciderant.

Sed quidquid de hac inſtructionē ſit, recordari omninò debuit Talonius in ultimo Lateranenſi Concilio ſub Leone X. apertiſſimè definitum eſſe: *Concilium Pontifici ſubeſſe*, & tamen illa ipſa ſynodus Lateranenſis pro legitima, Oecumenica, & indubitata à Ludovico XII. & Franciſco I. Galliæ Regibus, & proprio, & omnium Gallorum nomine recepta eſt. Sed & Cancellarius Pratenſis in illo ipſo ſermone, quo nomine Franciſci

Regis

Digitized by Google

Regis Parlamento demonſtrat, Concordatum recens cum Pontifice initum Galliæ conducere; illud quóque adjungit: *Certum eſſe, Papam, ſi paucos, raróſque caſus excipias, omni Concilio ſuperiorem eſſe.*

Errat ergo Talonius, ſéque rerum, quas narrat, omninò ignarum oſtendit, cùm audet tam præfidenter aſſerere: *Totam Galliam Baſileenſi ſynodo adhærere in ijs, quæ ſpectant ad Concilij ſupra Pontifices auctoritatem. Totam quoque cum nupero Pariſienſi Conventu ſentire.* At Talonius catenas, exilia, bonorúmque proſcriptiones amoveri faciat, dicendíque, quæ ſentiunt, libertatem Epiſcopis reddi, & continuò videbit, quàm multi nuperam Declarationem

ex

ex corde averſentur, & toti in partes Pontificis tranſeant.

Cæterùm quidquid Theologi privatim opinentur, palàm tamen pauciſſimi auſi ſunt, Pontificis auctoritati litem movere; & inter iſtos paucos duo illi, qui ad Epiſcopatus admiſſi non ſunt, nec priùs admittentur, quàm agnito, correctóque errore. Sed duo iſti facilè veniam impetrâſſent, modò Gallis placuiſſet, minori faſtu, ſtrepitúque rem iſtam aggredi: at avidi turbarum, flammámque accendendi, eo tandem devenerunt, ut jam ſemel accenſam ardentémque, nec velint extinguere, nec etiam poſſint.

Tranſit deinde Talonius ad ingentem Machinam, quâ Ponti-

ficis animum expugnaturum ſe credit. Prædicit: *Niſi Pontifex Bullas ad vacantes Epiſcopatus concedat, etiam illis, quos indignos reputat, fore, ut nihil amplius pecuniæ ex Gallijs Romam deferatur.*

O ſimplicem Talonium, qui tantum Pontificem Advocati calceo metitur! nimis planè Innocentij animum & genium, ignorant, quicunque ſperant corrumpi eum poſſe tam vili pretio: non Theſauri, non regna ſufficerent; quantò minùs parum illud argenti, quod ex Gallijs affertur, quódque in tot capita diviſum etiam à ſordidiſſimis vix nomen, aut curam meretur?

At, pergit Talonius, *Pontifice Bullas recuſante, meritò ex parte Regis Chriſtianiſſimi Concordatum abrumpi*

abrumpi poſſe, reducique Pragmaticam ſanctionem?

Sed quia nec aulæ, nec Regis Confeſſario conduceret Pragmaticam ſanctionem, & cum iſta liberas electiones Galliæ reſtitui, ideò Talonius noſter modum alium invenit, quo & Concordata, & Pragmatica aboleri poſſint, & tamen jus eligendi penès Regem conſtitui: *Electio*, inquit, *Epiſcoporum olim ad populum pertinebat: at populus non amplius in eo ſtatu eſt, ut hoc jure gaudere aut potiri poſſit: exempla quóque ſuppetunt Regum primæ, ſecundæq; ſtirpis, qui certis caſibus Epiſcopos eligebant: cùm ergo Reges ſint præcipua & nobiliſſima populi pars, poſſintque tam proprio nomine, quàm Populi agere; ſuccedant ipſi, eligántque Epiſcopos,*

quos poſteà Metropolitanus, alijque Epiſcopi Provinciales confirment, conſecréntque.

En tibi egregiam Gallici Advocati Theologiam! quam qui legit, audítque, meritò ſuſpicari poſſit; veniſſe auctorem ex ultima Orbis Braſilia, ubi nulla æquitatis, nulla rationis, nulla juris Divini humaníque notitia. Talonius tantus libertatis Gallicanæ declamator nihil Pragmaticæ ſanctioni (in ſacris Canonibus, Conciliíſque Conſtantienſi & Baſilienſi fundatæ, ſi electiones ſpectes) nihil ſynodo Aurelianenſi deferendum cenſet, quæ Capitulis Cathedralibus unà cum Magnatibus, præcipuíſque Civibus Diœceſis jus eligendi reſtituit. Talonius adeò Canonicis

nicis electionibus adverſatur, ut eas etiam impoſſibiles eſſe contendat, & quas alij quondam Advocati tanquam præcipuum caput Gallicanæ libertatis omnibus viribus propugnârunt, ipſe ſubverſas cupit. Talonius, inquam, non Canonum, non Regiorum edictorum, non Legum in Concilijs ſancitarum, non denique libertatis Eccleſiaſticæ memor omnia momento deleri optat; tantùm ut in aula mereatur. Jus novum condatur ſolâ auctoritate, Juríſque prudentiâ Talonij ſuffultum: Galliæ Concordata uno ictu truncentur, quippe Pontifici propitia, cui jus permittunt indignos repellendi: ceſſet Pragmatica; nam electiones reſtituit Capitulis Rege excluſo: non ſe

Digitized by Google

Pontifex electionibus immiſceat: & denique in locum tot Canonum, tot legum, tot ſanctionum, tot Conciliorum Rex ſolus unúſque ſuccedat, eligátque Epiſcopos; ſic tamen, ut hoc ipſum jus eligendi nullis Concordatis illigetur, & contra omnium retrò Regum exempla ex ſolius Principis arbitrio pendeat. En tibi de rebus Eccleſiaſticis (quarum præcipua pars electio Epiſcoporum) Talonij Ideam! Quis rogo Eccleſiæ Gallicanæ vices non meritò defleat? quæ loco ſacrorum Canonum, loco Pontificis Summi, ex arbitrio, ſomniíſque pendeat Regij Advocati; hoc eſt, hominis ad nutum aulæ faciem moréſque mutantis, cui nulla legum Eccleſiaſticarum peritia

(niſi

(niſi cùm fortè ad Declamationes ſuas farciendas hinc inde aliquid raptímque convaſavit) nullà honoris, nulla Conſcientiæ, nullâ Edictorum Regiorum cura, ſed ſola & unica adulandi, aulámque demerendi libido.

Meritò hæc Lectori aliena, nec ad rem ſpectantia videantur, cùm nihil pertineant ad jus Aſyli à Gallicis Legatis expetiti ; ſed oportuit veſtigia Talonij legere.

Jam videamus, quid de Jure Quarteriorum dicat.

Primò ingenti digreſſione in Bullam Cœnæ vociferatur: *Hâc novam, immenſámque Monarchiam Pontificibus ſtabiliri. Hâc Parlamenta jure cauſas Beneficiarias(quoad Poſſeſſorium) cognoſcendi injuſtè*

 privari,

privari, ſicut etiam cauſas cum reales, tum perſonales Clericorum.

Quæ de hac nova & univerſali Pontificum Monarchia Talonius exclamat, planè nova ſunt, nec in Bulla fictæ hujus Monarchiæ ulla mentio reperitur. Quòd ſi nomine Monarchiæ ſtatum & Hierarchiam Eccleſiaſticam Talonius intelligat, in qua Parlamentum prohibetur juriſdictionem in cauſas Eccleſiaſticas uſurpare, non video, quis meritò de Bulla Cænæ conqueri poſſit; ſi modò Judices illos ſæculares excipias, quibus & antiqua ambitio in Clericos dominandi, & par cupiditas ex eorum litibus quæſtum faciendi.

Cæterùm ex modo, quo Talonius de Bulla Cænæ loquitur, omninò

Digitized by Google

omninò apparet, eam Bullam ne quidem lectam ab eo eſſe, ſed tantùm aliorum narratione acceptam.

Primò enim ſupponit Monarchiam aliquam univerſalem eâ Bullâ ſtabiliri, cùm tamen nullius Monarchiæ illic mentio fiat.

Deinde ſupponit, cenſurarum, quæ in Bulla Cænæ continentur, primum auctorem Julium II. fuiſſe: & tamen certum eſt, hujusmodi & ex ſimilibus cauſis cenſuras multis jam priùs annis Urbani V. Pauli II. & Sixti IV. Conſtitutionibus inſertas fuiſſe. Poſteà ſecuti Julius II. & Paulus III. aliíque Pontifices, quos licèt nemo odij in Gallos accuſet, conſtat tamen eodem modo, iiſdémque ſolemnitatibus die Jovis

 ſancti

ſancti Bullam Cœnæ, & cenſuras illâ comprehenſas publicâſſe. Nihil ergo apparet, quod in ea Bulla argui poſſit, niſi, ut dixi, illud Talonio intolerandum videatur, quòd Parlamentum Eccleſiaſticis cauſis judicandis arceatur.

Tranſit tandem poſt longas digreſſiones Talonius ad interdictum Eccleſiæ S. Ludovici: *Quod contra omnes regulas, formáſque Canonicas eſſe contendit.*

Sufficeret ad hoc reſpondere, eam ſupremâ auctoritate Pontificem Romæ potiri, quàm Regem Pariſijs; hoc ſolùm diſcrimine, quòd Pontifex Romæ utráque poteſtate, temporali videlicet & ſpiritali fungatur, Rex ſolâ temporali; quæ ergo Pontifex ſemel Romæ

Romæ judicavit, ea non Parlamenti, non Talonij, non ullius mortalium, ſed Dei ſolius examini & judicio reſervantur.

Cæterùm nulla cauſa Talonio iraſcendi ob neglectas Canonum regulas; nam illæ multò ſeverius Romæ, quàm Pariſijs, & in Gallijs obſervantur; átque utinam cùm Regiorum Miniſtrorum imperio Monaſterium Charonenſe deſtructum: cùm Inſtitutum Infantiæ Jesu abolitum: cùm Urbaniſſæ intruſæ: cùm Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Trinitariorum Abbatum electiones ſublatæ: cùm Regaliæ, aliæque Eccleſiaſticæ cauſæ ſæcularium Judicum Tribunalibus ſubmiſſæ; utinam, inquam, cùm tam multa contra

libertatem Eccleſiarum quotidie fiunt, æquè Galli Canonum, ſacrarúmque Regularum, ut Pontifex meminiſſent.

Cardinalis ergo Vicarius ideò Eccleſiam S. Ludovici interdicto ſuppoſuit, quòd Rector, totúmque Eccleſiæ illius Collegium auſum eſt Lavardinum quantumvis notoriè excommunicatum ad Sacramenta Eccleſiæ, communéſque preces recipere. Conſtabat de Pontificis Bulla jam Regi, jam miniſtris, ipſique Lavardino, jam priùs notâ, quàm Pariſijs diſcederet; nec poteſt ignorantiam prætexere, cùm quinque menſes poſt vulgatam Bullam ideò armatus Romam intraverit, ut Aſylum quovis modo tueretur, invitóque Pontifice; & in quam-

Digitized by Google

quamcunque faciem ſe vertat Lavardinus, nunquam perſuadebit ſe ignoràſſe, quæ tot ſignis ac velut ex induſtria mundo patefecit. Romam ingreditur bellatoris more, ac victori ſimilis. Vectigalia ad portas ſolvere recuſat. Bellicis inſtrumentis & apparatu ſe munit. Palatium Farneſium gladiatoribus, aliíſque claſſiarijs militibus implet: excubiæ, circitores Palatium totâ nocte obambulant; credas arcem aliquam, caſtrúmque vi expugnatum cuſtodiri; útque tota Roma intelligat Lavardinum non Legatum, ſed militem agere, vigiliæ certis horis diſtinctæ campano ære indicantur. Jam rogo, poſt tot argumenta violatæ Pontificis Bullæ, quis ampliùs dubi-

Digitized by Google

tet Lavardinum non incidiſſe cenſuras Pontificio diplomate inflictas? & ſi hæc tam nota & vulgata ſunt, ut abſcondi non poſſint, nulláque tergiverſatione purgari; quis neget Clerum, Rectorémque Eccleſiæ S. Ludovici, qui Lavardinum ad ſacra admiſerant, cenſuras meruiſſe?

At Lavardinus denuntiatus necdum fuerat.

At Talonium Concordati, & Pragmaticæ reminiſci oportuit, ubi expreſſis verbis notatur: *Cùm quis in rebus ſacris, ac participatione Sacramentorum cum notoriè excommunicatis communicaverit, poſſe interdicto, aut etiam excommunicatione puniri, quamvis nulla denuntiatio præceſſerit.* Notorium erat incurriſſe Lavardinum Excommuni-

municationem: notorium contra Pontificis voluntatem & edicta jus Aſyli uſurpâſſe, ídque palàm, obſtinatéque: néque hoc à Rectore, Collegióque Eccleſiæ S. Ludovici ignorari poterat, quid ergo obſtat, ut non potuerint, meruerintque interdicto ligari? nec refugiat Talonius ad locos communes ſcholarium more, qui Rethoricam diſcunt; exclamétque in damna ex Interdictis nata; nec enim de Regnorum, aut Provinciarum Interdictis hîc agitur, quæ olim adeò frequentia; ſed de interdicto, unius Parochialis Eccleſiæ, ac Romano Pontifici (quippe in Romana urbe) planè ſubjectæ; & quam Interdicto ſupponi meruit culpa & inobedientia illius Collegij.

legij. Fruſtra igitur cavillatur Talonius, nec quicquam reperiet, quod huic interdicto ſive formam, ſive ſubſtantiam ſpectet, ſolidè opponat.

At Legatus, aliúſve Regis Miniſter nec peccat, nec excommunicationem meretur, quoties officio ſuo fungitur, & Principis mandata exequitur.

Quæro, quam Talonius Religionem profiteatur, & an Evangelio credat? nam ſi credit, negare utique non poteſt, illis Evangelij verbis: *Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis,* datam eſſe Pontifici plenam, nulláque exceptione limitatam poteſtatem ligandi, ſolvendíque; ſi ergo Principum Legati, Regiíque Miniſtri Chriſtiani ſunt, ſi clavi-

clavibus Eccleſiæ perinde ac reliqui fidelium ſubjecti; ſi Evangelium eos non excipit; ſi peccare poſſunt, etiam cùm Principum ſuorum mandata exequuntur; quâ ergo ratione ſuſtineri poteſt, eos puniri ab Eccleſia, & excommunicari non poſſe? Ergo ex Lavardini & Talonij Theologia poterit aliquis ex Principis ſui juſſu in Eccleſiæ Prælatum manus inijcere, eúmque vitâ privare, poterit patrimonium ac bona Eccleſiæ, ac etiam Juriſdictionem ſupremam (quæ omnia alia pretio ſuperat) invadere; & tamen quia Principis imperio fecit, cenſuras effugere à ſacris Canonibus latas; at hæc tam abſurda ſunt, ut hactenùs nunquàm lecta fuerint, nunquàm audita.

Imò

Digitized by Google

Imò ſi uſum Eccleſiæ, ſi Canones ipſámque Galliæ hiſtoriam evolvas, quàmplurima occurrent Regum exempla, qui ſacrorum Communione prohibiti ſunt: ſi ergo Reges excommunicari poſſunt, quantò magis Regum Legati? Tempus me deficiat, ſi omnium Græcorum, Germanorúmque Imperatorum, ſi Angliæ, ſi Galliæ Regum exempla percurram. Clotharij quóque, Philippi Auguſti, utriúſque Henrici III. & IV. notiora ſunt, quàm ut negari ab aliquo, aut in alium ſenſum explicari poſſint. Etiam qui in Sedem Apoſtolicam iniquiſſimi ſunt, fateri coguntur, ſub initium octavi ſæculi Leonem Iconomachum à Gregorio II. excommunicatum eſſe; eáque oc-

caſione

caſione Exarchatum Ravennatem in Italia perdidiſſe. Sic quóque qui maximè ſe Gallos profitentur, negare haud poſſunt, Clotharium, Philippum I. & Philippum Auguſtum Galliæ Reges à Pontifice Romano excommunicatos, coactóſque eſſe, ejectis concubinis, legitimas conjuges Thalamo reſtituere. Nicolaus I. Lotharium, quòd repudiatâ Teutbergâ legitimâ Conjuge, Waldradam concubinam duxiſſet: Urbanus II. Philippum in ſynodo Claremontana: & denique Innocentius III. Philippum Auguſtum, & hunc quidem tantâ ſeveritate, ut nullus cum eo ſocietatem jungere, nemo publicis edictis ejus nomen, aut Regnum ſubſcribere auderet, ſed Diplomata hâc formulâ

Digitized by Google

imulâ clauderentur: *Regnante Chriſto.* Plura, qui volet, legat ſolùm hiſtorias Maimburgi (tanti Pontificum accuſatoris) illic longo numero exempla Henrici IV. Henrici V. Friderici I. Philippi I. Othonis IV. Friderici II. Conradi I. Imperatorum reperiet, ac multa etiam Angliæ Regum, qui ſacris excluſi dedignati non ſunt, aut Pontificis, aut hujus Legatorum genibus advolvi, veniámque precari. Et quid Pontifices loquor? Ipſe Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis anathema minatus eſt Carolo ſimplici Galliarum Regi, ſi fœdus iniret cum Nortmannis Gente Barbara & Idolis addicta. Verba Fulconis ad Regem ſcribentis hæc ſunt: *Sciatis, quòd ſi hoc feceritis, & conſilijs*

Digitized by Google

ſilÿs noſtris non acquieveritis; nunquam me fidelem habebitis, ſed & quoſcúnque potuero, à veſtra fidelitate revocabo, & omnes veſtros excommunicans perpetuo anathemate damnabo. Et libro 6. Capitularium (quæ ipſi Reges approbârunt) *capite 249.* Hæc verba leguntur: *Hujus Conſtitutionis forma ſervetur, & velut prævaricator Catholicæ fidei execrandum anathema fiat, & à Domino reus exiſtat, quicúnque Regum deinceps Canonis hujus Cenſuram in quocúnque crediderit eſſe violandam.*

Conſtat ergo ipſos Reges hanc in Pontifice poteſtatem agnoviſſe, ac veneratos eſſe. Pænituit peccâſſe: veniam aut ipſi, aut per Legatos deprecati ſunt: pœnas denique & delicto & ſcandalo

impo-

impoſitas læti velut remedia acceptârunt. Quòd ſi Talonium conſuluiſſent, quid aliud reſponderet, quàm *Cenſuras eſſe ignes fatuos Vaticani, qui in fumum reſolvantur, néque alij, quàm auctori nocere: carceribus, proſcriptionibus, exilijſq́; cogendos Sacerdotes Eccleſias pandere, & Sacramenta petentibus dare: Pontificem calumnijs onerandum eſſe nullo falſi, aut veri diſcrimine, modò ut noceant. Denique quoties Pontificum ſententiæ diſpliceant, ab ijs tanquàm ab abuſu ad Parlamentum, ad Concilia ſeu futura, ſeu non futura provocandum eſſe.* Hæc inquam, fuiſſent Talonij ſcelerata conſilia. Sed nihil iſtorum magni illi Monarchæ, quippe alia Principibus, alia Advocatis Conſcientia. Agnoſcebant ſe inſtar

ſtar aliorum mortalium errare poſſe, & ideò non minùs moneri corrigíque ſe patiebantur; neque in eo Majeſtatem ponebant, ut Eccleſiam contemnerent, ejúſque auctoritatem peſſumdarent indignis cavillationibus; ſed in eo potiùs, ut ejus ſe legibus ſubmitterent, ut ſuo exemplo docerent, quàm oporteat Eccleſiæ cenſuras timere; & denique ut omnibus reverentiam Eccleſiæ, ejúſque Capiti, Romano videlicet Pontifici debitam inſpirarent.

Verum quidem eſt, nonnullos Galliæ Epiſcopos, pluſquàm decebat, auctoritatis ſuæ anxios, tenacéſque, ſibi pro prima inſtantia auctoritatem arrogâſſe Reges excommunicandi; unde

in

in illa verba contra Gregorium IV. prorupêre: *Si veniret Regem excommunicaturus, ipſe Excommunicatus diſcederet.* Hæc Talonius exaggerat, aptátque ſuæ cauſæ, quæ tamen, ſi aliquis huic Togato pudor, æternâ oblivione delenda, & ex Galliæ annalibus planè oblitteranda fuerant. (a) Qui enim Epiſcopi Galliæ, ut audeant in Pontificem Romanum, Chriſtíque Vicarium ſententias, pœnas, imò anathemata dictare? num ergo Epiſcopi ſuperiores? num Pontifex non ſolùm Concilio Oecumenico, verùm etiam tumultuario Epiſcoporum manipulo ſubjectus? Hæc tam abſurda, támque

(a) Ipſe Aimoinus, qui hæc verba Epiſcoporum recenſet: *Præſumptuoſos & audaces* vocat. *Aimoinus lib. 5. cap. 14.*

támque indigna, ut pigeat refutare.

Illud ergo verum eſt, conſtátque ex Galliæ hiſtorijs, Capitularibus, Conciliiſque, olim Epiſcopos ſibi, ut dixeram, auctoritatem adſcripſiſſe Reges excommunicandi; cùm verò hâc poteſtate aut factionibus, aut etiam Civilibus bellis abuterentur; ſæpè Pontifices rogati, ut ſoli id facerent. Quòd ſi Talonio otium fuiſſet Clementis VI. aliorúmque Pontificum Diplomata evolvere, ac etiam inſtructionem Caroli IX. ad Paulum IV. pro Regina Navarræ, ſupplicéſque libellos d'Angenes, Perronij, & Oſſati Cardinalium pro Henricis III. & IV. Regibus Galliæ; id ſolum ſufficeret, ut Talonius

continuò fateri cogeretur, agnoviſſe Reges, ſe poſſe à Pontifice Romano excom̃unicari; & poſtquàm excommunicati ſunt, abſolvi poſtulâſſe: ac inſuper, ut hâc poteſtate ſoli Pontifices, non Epiſcopi uterentur, enixè rogâſſe. Juris etiam Conſulti, Advocatíque prioris ſæculi, quamvis hæreticorum opinionibus imbuti, quæ tunc Galliam impleverant; quamvis negârint poſſe primo occupanti Regna exponi, aut interdicto ſubijci (de quo nulla modò concertatio) ſemper tamen faſſi ſunt, poſſe Principes excom̃unicari, ídque Theodoſij, Leonis, Fridericorum, Regúmque Galliæ exemplis comprobârunt. Hoc ergo tam notum certúmque eſt, ut inficiari nemo

poſſit,

poſſit, niſi qui velit Eccleſiam auctoritate ſuâ privare, illâ, inquam, auctoritate, quæ ſupra Petram, imò ſupra Chriſtum, ejúſque Verbum immutabile fundata, non locis, non temporibus, non hominum arbitrio moveri poteſt, evertíque.

Fixum ergo ratúmque ſit, poſſe Reges, poſſe Regios Miniſtros Cenſuris percelli, etiam cùm Principis mandata exequuntur; ſiquidem ea ipſa executio cum aliquo delictorum conjuncta ſit, quæ Cenſuras merentur, ut nuper cum Lavardino contigit.

Quæ Talonius narrat de ijs, quæ Neapoli & in Sicilia contigerunt, indigna ſunt refutatione, quippe palàm & indubiè falſa.

Digitized by Google

Conſtat enim nonnullos ex Conſiliarijs ſtatûs, Regiíſque Miniſtris à Nuntio Apoſtolico excommunicatione percuſſos ſacris abſtinuiſſe, útque Natalitia feſta obire poſſent, priùs veniam poſtulâſſe, átque etiam obtinuiſſe, cum clauſula tamen de *Reincidentia*, niſi à Nuntio imperatis obtemperarent. In Sicilia quóque cùm ob violatam Eccleſiaſticam immunitatem, & Vice-Regem, & alios Regis Miniſtros Panormitanus Archiepiſcopus anathemate percuſſiſſet, non priùs abſoluti ſunt, quàm Archiepiſcopum adirent, publicéque ac ſolito ritu veniam poſcerent.

Ea quóque prætereo, quæ de Ignorantia Bullæ, déque ejus publicatione nunquàm in Gallijs

facta

facta ab aliquibus recitantur, & ipſe quóque Talonius ea tantùm curſim obitérq; perſtrinxit. Nam ut eo Pontificis Diplomate ij ſaltem, qui Romæ morabantur, obligarentur, ſufficit illud Romæ promulgatum eſſe, Romæque pependiſſe. Nolo hîc quærere, Legatus fuerit, aut non fuerit Lavardinus; quamvis enim multis rationibus evincere poſſim, non fuiſſe pro Legato habitum, cùm videlicet non ſufficiat aliquem pro Legato mitti, niſi etiam à Principe, ad quem mittitur, pro Legato admittatur: & quoties ipſius Pontificis Nuntij, cùm ad Galliæ limites perveniſſent, juſſi ſunt redire, nec unquàm admiſſi, non aliâ ratione, quàm quòd Regi non placerent? Sed

ſive Legatus ſit, ſive non ſit Lavardinus, ſufficit jam dicere, non ignorâſſe illum, imò nec ignorare potuiſſe, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ à Pontifice vetitum eſſe, ne quis Jus Franchitiarum, Quarteriorum, & Aſyli prætendere, multóque minùs uſurpare auderet. Scivit hoc Lavardinus; uſurpavit tamen, nec monitus ceſſavit; non celari delictum poterat, non ullo Privilegio purgari; meruit ergo Cenſuras, incurrítque; & quòd poſteà non petitâ, nec impetratâ veniâ, Parochialem S. Ludovici Eccleſiam intraverit, adierítque Sacramenta; contemptus & injuria fuit, Pontificis Eccleſiæque auctoritatem cum faſtu calcantis.

Poſt-

Poſtquàm Talonius nullo fundamento dixit, à Pontifice non poſſe Legatos excommunicari; adjungit, multò minùs potuiſſe ob jus Aſyli & Franchitiarum: *Has enim eſſe jus merè temporale, ſicq; excommunicationi non ſubiacere, tantóque magis, quòd illud immemoriali præſcriptione in Regem tranſierit.*

Sed primò quærimus ex Talonio, quis Parlamento hanc poteſtatem tribuerit, inter Pontificem Regémque cauſam Romanæ urbis, déque jure Franchitiarum judicandi? num ergo & Pontifex, & Roma, & utriúſque cauſæ ad parlamenti, Regíſque tribunal pertinent, ut ab iſto delegari, ab illo (cui tantùm cauſæ privatorum ſubmittuntur) decidi, finiríque debeant?

Deinde ut rem ex ſuis principijs examinemus, videndum eſt, quænam tandem ſint illa jura, quæ in Romanam urbem ſibi vendicant Legati, quæq́ue eorum rationes; nam ſi Talonio credimus, poteſt Rex Galliæ in Romanam urbem ſupremam ſibi auctoritatem aſſerere; poteſt Pontificem throno movere. En nova Talonij jura, quæ nec Pithæo, nec alijs (Regiorum in diverſos Principatus jurium Collectoribus) in mentem venêre; nam quòd hâc auctoritate in Romanam urbem Rex interim abſtineat, gratiæ Talonius & indulgentiæ adſcribit, ſic tamen, ut quando Regi placuerit, commodúmque fuerit, uti poſſit hoc jure, Romæq́ue dominari. Poteſt

teſt Rex, *inquit*, totâ Româ potiri, nunc aliquâ tantùm ejus parte contentus eſt, quam Legatis ſuis cedit, & Quarterium vocant; nam ædes ipſas, Palatiúmque Farneſium quod attinet, in quo Legati morantur; nec Legatorum, nec Regis eſt, ſed Ducis Parmenſis. In hoc ergo Quarterio, ſeu in hac urbis Regione (præter lucrum, quod ex illis, qui huc confugiunt, Legatorum familiæ accedit) contendit Talonius, poſſe omnibus proſcriptis, ſicarijs, veneficis, Latronibus, Atheis, ſacrilegis, Adulteris, Meretricibus, omnibúſque criminoſis ſtationem & Aſylum patere: huc Juſtitiæ Miniſtris acceſſum non eſſe: neminem hîc capi poſſe: nec ullum eſſe tam reum, quem, ſi huc con-

fugerit, teneatur Legatus petenti Magiſtratui reſtituere, imò quicúnque & cujuſcúnque Magiſtratûs Pontificij imperio hoc ſacrarium intraverit vinciendis reis, poſſe à Legati Miniſtris percuti, occidíque. Hoc ergo eſſe grande illud Gallici Regis privilegium, quod non deleri, non alienari poſſit, & deníque cujus gratiâ Parlamentum humillimè Regi ſupplicat, ne illud violari quovis modo patiatur.

Subit planè animum admiratio, tantos, tantáque ſapientiâ præditos Senatores, quantâ illi gloriantur, qui Pariſienſe Parlamentum componunt, non erubeſcere cauſam tam frivolam, tam novam, tam injuſtam, & omnibus

bus legibus Divinis humaniſque contrariam ſub oculis totius Europæ ſuſtinere, ſuámque illi auctoritatem præſtare: & ſaltem moderari decebat, & aliquâ exceptione coërcere; ſi enim Rex auctoritatem aliquam, & jus præventionis Reos puniendi in certo aliquo, exemptóque urbis Territorio ſibi aſſumeret, novum quidem id eſſet, nulláque ratione ſubnixum; ferri tamen utcúnque poſſet; quippe & delicta in aliquo tandem Territorio punirentur, & totâ Româ publicæ quieti proviſum eſſet. Sed nihil horum, Regis Legatus. Imò quantacúnque ſit hujus prætenſi juris, aut privilegij injuſtitia, non deſunt Regi nec in aula, nec in Parlamento, nec in ipſo Conſcientiæ

foro Adulatores, qui, ut illud tueantur, Regíque perſuadeant, Caroli Magni, aliorúmque Galliæ Regum & liberalitatem, dum Romanæ urbis dominium conceſsêre, & modeſtiam extollunt, cùm tam modicâ urbis parte, quâ videlicet Quarterium extenditur, contenti ſunt.

Sed Talonius nec Caroli Magni, nec aliorum donationes, nec alios titulos moratus, vult quorumcúnque criminum reos, ut primùm Legati Quarterium (quo magnus ædium & platearum numerus continetur) attigerint, continuò exemptos fieri, crimen extingui, accuſationes ceſſare, eodémque momento, non examinatâ, non judicatâ, non remiſsâ causâ, omnium ſcelerum abſolvi. Quòd ſi

ſi alij Principum Legati eâdem ratione, quâ Lavardinus Romam invehantur triumphantium more, Palatia & Quarteria ſua militaribus ſtationibus impleant, armíſque ut nuper Lavardinus jus Aſyli invadant; & deinde Latronum aliquis aut domum expilet Lavardini, aut aliquem occidat ex ejus domeſticis, quanti ab illo ſtrepitus, quantíque clamores? *Aſyla corruptelas eſſe, quæ ferri non poſſint: provocare omne genus flagitia; obſtare naturali, Gentiúmque juri; extirpanda igitur & excindenda eſſe, nec minori ſeveritate è medio tollenda, quàm in Galliæ Regno jura quædam Dominativa ſublata ſint, quamvis longiſſimo & antiquiſſimo uſu jam dudum inolita.*

Quòd ſi à Talonio quæras, quæ tandem ſit ratio, ob quam tantâ contentione, grande hoc privilegium Regi ſuo aſſerat? cùm nullam néque in publicis, néque in privatis documentis reperiat, cogitur totam fiduciam ſuam in poſſeſſione duorum Galliæ Legatorum collocare, Piſanáque Conventione, quamvis nihil tale, imò contrarium hæc dicat. Sed ſingula videamus.

Quæro igitur ex Talonio, fateatur an neget ſupremam Romanæ urbis Juriſdictionem ad Pontificem pertinere? Non credo equidem negaturum, cùm facilè ex hiſtorica narratione convinci poſſit, oſtendíque, multis antè ſæculis Pontifices Romano Principatu potitos eſſe, quàm Stirps,

ex

ex qua Moderni Reges prodiêre, thronum conſcenderet. Si ergo ſuprema & Regia Romanæ urbis poteſtas ſemper Pontificum fuit, adeò ut nec Cæſaris, nec alterius Principis dominatum agnoſcat, meritò oſtendere Talonius debet, quî ergo in ipſa urbe Dominatrice, ac Eccleſiaſtici ſtatûs Metropoli Rex Galliæ ſibi hanc Juriſdictionem vindicare poſſit? Certum enim eſt, átque apud ipſos Galliæ Jurisprudentes receptiſſimum, Juribus ſupremæ Juriſdictionis ne centenariâ, imò ne plurium quidem ſæculorum poſſeſſione præſcribi poſſe. Addítque Lebretus Advocatus Generalis in ſuo *de Jure ſupremitatis* Tractatu, omnium jurium, quibus Principes

potiun-

Digitized by Google

potiuntur, præcipuum, maximéque neceſſarium eſſe, jus vitæ & mortis, puniendíque delicta. Si ergo Pontifex ſupremam in toto Eccleſiaſtico ſtatu, ac præcipuè Romana urbe, poteſtatem exercet: ſi hanc ipſam omnes in Pontifice Reges agnoſcunt, & ideò illius Legato primas concedunt: ſi hæc poteſtas præſcribi non poteſt: ſequitur ergo, non poſſe Pontificem hâc poteſtate privari, nec ullam præſcriptionem validam eſſe.

Quòd ſi Talonius negat, Regum Galliæ jura præſcribi, aut alienari poſſe; cur non æquè Pontificum jura? niſi fortè Talonius aliâ lance Galliæ jura, aliâ Pontificis expendi velit. At

ſupremæ

Digitized by Google

ſupremæ Juriſdictionis eadem conditio eſt, in quocúnque ſive in Rege, ſive in Pontifice reperiatur. Gaudeat Lavardinus, omnéſque Galliæ Legati hoc Jure immunitatis, ſi modò eandem immunitatem Pontificis Legato Pariſijs concedant. Quòd ſi Pariſijs negant, quâ rogo conſcientiâ hanc Romæ petunt? ſunt enim reciproca jura Legatorum, proveniúntque ex Gentium jure, quod idem ubíque eſt, ſicque immunitas à Gallis optata aut omnibus Legatorum, aut nullis debetur. Legat tantùm Talonius Grotij libros de jure belli & pacis, videbítque longè alia eſſe, quæ de Legatis, eorúmque immunitatibus Jus Gentium diſpoſuit; quàm ipſe effinxit, ut poſſet iniquiſſima

quiſſima Lavardini poſtulata quovis modo ſuſtinere.

Cùm ergo Pontifex in urbem Romanam ſupremâ juriſdictione gaudeat, & à nullo Principum dependente; cúmque hæc ipſa ſuprema juriſdictio præſcribi nunquam poſſit, & hæc ipſius jurisdictionis præcipua pars ſit, jus reos puniendi; manifeſtè ſequitur, ne hoc quidem jus poſſe præſcribi; adeò ut priùs Jurisdictio adimi Pontifici debeat, quàm poteſtas criminoſos puniendi, capiendíque ubicúnque locorum (intra tamen Pontificis ditionem) reperiantur, ac etiam in iſs urbis Regionibus, quæ Quarteria appellantur; nec poſſe à Principum Legatis Miniſtros Juſtitiæ

ſtitiæ impediri, multóque minùs puniri, maléque haberi.

Deinde ut Talonij rationes propiùs examinemus. Quæro an hoc Aſyli & Quarterij privilegium velit Talonius annexum eſſe, inſertúmque officio Legati, ſicque omnibus Legatis deberi, an verò ſoli Galliæ Legato? in omnium Principum aulis locum habere, an in ſola Romana? & quia Pontifex Princeps Eccleſiaſticus eſt, & nec voluntatem, nec vires habet, quibus torrentem ſuſtineat Gallicæ Potentiæ; quæro inquam, an ideò præ alijs Principibus hâc ſervitute gravari debeat? Rurſus explicari à Talonio velim, quo tandem titulo hanc Legatorum immunitatem fulciri velit? Privilegij? feudi? belli?

Con-

Digitized by Google

Conventionis? Concordati? an verò poſſeſſionis viginti ferè annis à Legatis uſurpatæ? Volui tot titulos conſultò numerare, quia in nupera Declamatione nullum Talonius diſtinctè expreſſit.

Si ergo hæc Aſyli immunitas officium Legati comitatur, ſequitur deberi omnibus Legatis, & in omnium principum aulis, quod nunquam Gallia concedet. Si ſoli Galliæ Legato debetur, quæro quo titulo huic potiùs, quàm alijs Principum Legatis? nullum enim Talonius producit, non Conventionis, non Concordati, non Donationis, non denique Belli; nunquam enim Galliæ Rex Romam expugnavit, reddidítque Pontifici hâc conditione, ut Aſylum pateretur. Nec

Nec mihi Piſanam Conventionem obijcias; illam enim vix curſim, timidéque Talonius attingit; quippe indignam judicat, quæ huic cauſæ ſuffragari poſſit. Illa enim non de Jure Aſylorum, ac Latronum, proſcriptorúmque patrocinio agit; ſed de Legatorum, & qui illis famulantur, ſecuritate; déque obſervantia Legatis debita, quam Corſi milites violaverant. Imò quamvis Galliæ Legatus eâ occaſione uſus ſaltem aream Farneſio palatio addictam peteret, quæ Aſylo donaretur, nunquàm Alexander Pontifex id concedere voluit.

Cogitur ergo Talonius totam denique Demonſtrationis ſuæ ſummam ad Poſſeſſionem trium Legatorum referre, quos dicit

hâc

Digitized by Google

hâc immunitate gaviſos eſſe. Sed ex hiſce tribus duos Talonio non admitto. Tertius, qui hoc jus palàm uſurpavit, eſt Dux Eſtreus. Conſtat gubernante Eccleſiam Clemente Decimo, tam hujus, quàm præſertim odio primi ejus Miniſtri conſpirâſſe Principum Legatos, propriáque auctoritate hoc jus Aſyli & Quarteriorum occupâſſe. Jam quæro ex Talonio, an credat ſe mundo perſuaſurum, violentam uſurpatámque Poſſeſſionem, & tot Pontificum diplomatibus adverſam, ac toties damnatam ſufficere extinguendis Principum juribus, inducendæque Præſcriptioni? & ideò ſpoliari ſuâ jurisdictione Pontifices, quia iniquitas temporum, metúſque pejorum coëgit illos ali-

aliquandiu connivere? Et ſi ita eſt, cur ergo Ludovicus XIV. Galliæ Rex tot abolita & antiquata jura in integrum reſtituit, ſibíque aſſeruit, de quibus nullus Galliæ Regum hactenùs cogitaverat?

Nulla ergo præſcriptio obtendi poteſt; ſed néque modus accuſari, quo Innocentius hoc malum extinguere aggreſſus eſt. Quamvis enim jam in ipſo limine ſui Pontificatûs agnoſceret, nullum Romæ aut graviorem abuſum vigere, aut remedio digniorem; non ideò tamen illi è medio tollendo inconſultè, abruptímque accinctus eſt, ſed lentè placidéque; jam Rege per Nuntios tentato, jam Legatorum diſceſſu, jam morte expectatâ; nec

priùs

priùs viſi ſatellites circa palatium Farneſium, quàm extincto Eſtreo Legato, conditóque; adeò ut etiam cadaveri reverentia haberetur. Hoc eſt Galliæ hoſtem profiteri? hoc, ut cauſatur Talonius, Regem ex induſtria irritare? imò hoc ad juſtitiam, publicámque quietem pertinuit, nec aliud vulgatâ Bullâ, ſublatáq; flagitijs ſecuritate ac impunitatis ſpe (quam Quarteria provocabant non minimam urbis partem complexa) ſibi Innocentius propoſuit. Imò ne quidem ad vulgandam Bullam proceſſit, niſi priùs per Nuntios & repetitis vicibus monito, rogatóque Rege, dignaretur Legatis, quos Romam deſtinabat, imperare, ut hâc immunitate & Aſylo abſtinerent.

En

En tibi Innocentij Pontificis delicta & culpas, ob quas dignum eum cenſuit Talonius, quem pro Gallorum hoſte, Hæreticorum verò præſertim Janſeniſtarum & Quietiſtarum Protectore traducèret. Cui unquam in mentem veniſſet, eo ipſo tempore, quo Galliæ Rex tantum Catholicæ Religionis Zelum oſtentat, tantúmque ardorem omnes, quotquot in Gallijs hæreſin profitentur, ad Eccleſiæ ſinum revocandi; reperiri tamen ex Regijs Miniſtris, qui famoſis libellis & calumnijs longè indigniſſimis famam Romani Pontificis, Sedíſque Apoſtolicæ inquinare audeant?

Evenit ergo aliquid etiam hoc tempore, quod nulla deinceps

Digitized by Google

Poſteritas credet. Miniſtros videlicet illius Regis, cujus auctoritate Juſtitiam totâ Galliâ florentem videmus; velle tamen, imò extorquere à Romano Pontifice, ut aſylum, tutámque ſtationem omnibus flagitijs, ínque ædibus Legatorum Romæ aperiat: & Pontifice tam injuſtis conatibus adverſante, continuò & Romæ Lavardinum comparere armatum, pugnacémque; & Talonium Pariſijs tot faces, quot calumnias vibrantem in eum Pontificem, quo vix alium ex ijs, qui Eccleſiam gubernârunt, pietate & ſapientiâ ſuperiorem invenias: in eum inquam Pontificem, cui non alia cura, quàm Dei, Eccleſiæque ſibi commiſſæ; cui nulla cumulandi Theſauros, augen-

augendæque familiæ cupiditas, qui ſe totum, ſuáſque curas & vigilias in id ſolùm impendit, ut nomen Chriſtianum longè latéque extendat, deleátque Infidelium Potentiam. Qui denique virtutibus ſuis meruit, ut cum eo Rex Chriſtianiſſimus vires & amicitiam jungat, exemplóque aliorum Galliæ Regum pietatis & gloriæ ſuæ partes ducat, ſtudia Romani Pontificis promovere, Sedíſque Apoſtolicæ dignitatem auctoritate ſuâ fulcire.

Et verò ſi Galli reverentiam obſervâſſent, & Principi, & Pontifici debitam, ſufficere Innocentio poterat ſub pœna læſæ Majeſtatis Aſyla & Quarteria prohibere; nunc verò poſtquam alia rerum facies; quid aliud Ponti-

ſex potuit, quàm ut tôllendo abuſui tam infami, plenóque periculis totam explicaret Eccleſiæ ſeveritatem? & tamen ne hanc quidem ſufficere, imò à Regijs Miniſtris Calviniſtarum more contemni, experientia nimiùm docuit. Quid ergo ſufficiet, quando necReligio ſuffecit ijs coërcendis, qui tam impia conſilia, támque ſcandalis plena Regi ſuggeſsêre?

Reſtat ut alia percurramus à Talonio objecta: *Non poteſt*, inquit, *Pontifex eſſe judex in ſua cauſa.*

Ergo, nec Rex, nec Parlamentum; quòd ſi nihil hoc aut Regem, aut Parlamentum impedit, ut non poſſint leges & dicta vulgare, quibus jura cùm utilia, tum honoraria ſua tueantur, cur impediant

diant Pontificem? Potuit ergo Pontifex tanquàm Princeps ſupremus Romanæ urbis edictum Bullámque conſcribere, quâ publicæ quieti, juſtitiæque provideret; cúmque & Bulla, & Bullæ executio in ſola Pontificis ditione locum haberet; non opus fuit, illam aut in Gallia promulgari, aut Lavardino inſinuari; nam néque Galliæ Rex Leges ſuas aut Legatis aut exteris, qui in Gallia morantur, promulgari facit, & tamen omnes volentes invitóſque conſtringunt nemine conquerente, Regem non poſſe in cauſa propria judicem eſſe.

Illud verum eſt, velle Gallos, conaríque, ut Pontificem ex Principe ſupremò Feudatarium & Vaſallum Regibus faciant. At

Digitized by Google

fieri hoc non poteſt, cùm poteſtas Pontificis ſive ſpiritualis, ſive temporalis à nullo Principum dependeat, nullíque ſubjecta ſit. Quòd ſi tanta Regibus cura, in juribus ſuis conſervandis etiam malè quæſitis; non minor eſſe debet Romano Pontifici in conſervanda ſpiritali & temporali ſua, & à Deo accepta dignitate; nam quòd hactenùs Pontifex temporalibus armis abſtinuit; non ideò alijs, multóque potentioribus pepercit, orationibus videlicet, lacrymíſque; hæc tot calumnijs, inſultibus, injurijſque oppoſuit; & forſan majori effectu, quàm Adverſarij opinentur, Deo Sanctorum ac præſertim ſui Vicarij injurias plerúmque vindicante.

Digitized by Google

dicante, Verbo: *Timeat orationem, qui non timuit exhortationem.*

Tandem obijcit Talonius: *Non poſſe ob jura, cauſáſq; merè temporales quemquam excommunicari.*

Reſpondeo aliud eſſe res temporales, aliud crimina, quæ rerũ temporalium intuitu committuntur, quid magis temporale, quàm ipſa pecunia? & tamen quis neſcit, tam univerſalibus Eccleſiæ, quàm particularibus Galliæ Canonibus fures expilatoréſque Templorum ſacrilegij damnari, ac etiam excommunicatione puniri? & quid in Gallia frequentius, quàm ut ex præſcripto novi Codicis cogantur Eccleſiæ Miniſtri in cauſis merè temporalibus priùs monitorijs,

deinde cenſuris & excommunicationibus in Contumaces agere? Demus ergo cauſam Aſyli & Quarteriorum eſſe merè temporalem: at crimen ſacrilegij, quo ſe obſtringunt, quicunque jus illud uſurpant, prohiberi, puniríque excommunicationibus potuit.

Cæterùm res ipſa & veritas eſt, bonorum, juriúmque Eccleſiaſticorum uſurpationem, unum ex atrocioribus delictis, & ſacrilegium eſſe, mererique excommunicationem. Sic antiqua Galliæ Concilia, quæ ſolâ Regum auctoritate coacta eſſe Talorius contendit; ſic Caroli Magni, Carolíque Calvi Capitularia loquuntur; quibus omnes, quicunque decimas, Jura, feuda, terras,

Digitized by Google

ras, proventus & Jurisdictionem Eccleſiarum invaſerint, aut aliàs uſurpaverint, anathemate puniuntur.

En tibi Galliæ Regum ſententiam, quâ res & Jura Eccleſiæ inter res ſacras reponuntur, eorúmque uſurpatio pro ſacrilegio habetur excommunicatione digno. Quòd ſi feuda & alia Eccleſiæ Dominia ad Epiſcopos aut Abbates pertinentia rebus ſacris adſcribuntur, quantò magis ſuprema Jurisdictio Eccleſiæ Romanæ Chriſtíque Vicario debita? quantóque grandius ſacrilegium, ſi iſta rapere aggrediaris? non ergo ut ſibi falsò Talonius perſuadet, quæſtio Aſyli & Quarteriorum ad cauſas pertinet merè politicas, prophanáſque, ſed ad

cauſas maximè ſacras. Quocunque enim modo ſuprema Romanæ urbis Juriſdictio ad Pontifices devenerit, conſtat multis jam ſæculis fuiſſe ab illis poſſeſſam; conſtat quoque eodem momento, quo ad Eccleſiam pervenit, Deóque conſecrata fuit, mutâſſe naturam, & de profana in ſacram evaſiſſe, ſicq́ue ex ſacrorum Canonum Galliæq́ue Conciliorum ſententia, quicúnque ſibi illam uſurpaverint, anathemate dignos eſſe.

Quamvis ergo & ſuprema Romæ, totiúſque Eccleſiaſtici ſtatûs Juriſdictio, & ingentes Principatus, quibus gaudent Romani Pontifices, à Carolo Magno, aliiſque Galliæ Regibus proveniſſe concederemus (id tamen

men multi in Gallia Auctores non admittunt) negari non poteſt, ab eo ſtatim momento, quo abſolutè, nullóque reſervato jure feudi, aut ſuperioritatis Eccleſiæ, Chriſtíque Vicario donata ſunt, non poſſe à quoquam violari, adimíque Romano Pontifici, qui illam tot jam ſæculis poſſedit. Alioquin & ſacrilegus erit, quicúnque in res Deo dicatas manus injecerit, & reus anathematis, omniúmque pœnarum, quas hujuſmodi uſurpatoribus infligunt Galliæ Concilia, quáſque in ultimo Diplomate Innocentius repetijt; nec enim novi aliquid decrevit, ſed antiquos tantùm Canones revocavit.

Et planè ſi injuſtitiam conſideres, & ingentia mala, quæ ex Aſy-

lis,

lis, & jure Quarteriorum proveniunt, indignum profectò Pontificiâ Dignitate Innocentium dixeris, ſacræque Sedis deſertorem, ſi turpiſſimo metu fractus, jura ſuæ Eccleſiæ, quæque in depoſitum accepit, Principum cupiditati exponeret; néque tam grandi abuſui delendo totâ auctoritate ſuâ laboraret.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google